6
19-b
134

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 G
6

6-19.b.134

LVSVS CANORI,


SEV

VARIA POEMATIA.

Ad usu͂ Philippi Mariæ à S. Mattheo.
Domus Probationis
Rom. scolaris Liais

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA


LVSVS CANOR
Seu
Varia Poemata
Auctore
A.R.P. Camillo a
S. Hieronymo Vrbinate
Collegij Nazareni
in Vrbe Rectore
Clericor. Pauperũ
Matris DEI
Scholarum
Piarum



LVSVS CANORI,
SEV
VARIA POEMATIA.

Auctore Adm. R. P.

CAMILLO A S. HIERONYMO

VRBINATE,

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei

SCHOLARVM PIARVM,

Collegij Nazareni in Vrbe

RECTORE.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN.

ROMÆ, Typis Bartholomæi Lupardi. M.DC.LXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patr. Magiſt. Sacr. Palat. Apoſtol.

I. de Ang. Archiepiſc. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacr. Pal. Apoſtol. Magiſt. Ordin. Prædicator.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Principi

GASPARI CARPINEO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,
Sanctiſs. D. N. Vicario, ac Datario.

Cleric. Regul. Paup. Matris Dei Scholarum Piarum
Protectori Humaniſsimo.

Ioſeph à S. Euſtachio Piſaurienſis eorumd. Cler. Reg. Aſſiſtens, & Procurator Generalis.
P. F. P.

DIV eſt, & longa annorum ſeries deducta, ex quo mihi Nazarenum Collegium incolere datum eſt; nec ibi defui his temporibus, quibus amæna huius-

modi Lycæi ſtudia, tamquam optimus Cultor, (vt in florentem excreſcerent amænitatem) Admodum R.P. Camillus à S.Hieronymo excolere ſapienter conſueuit. Quoniam verò loca amænitate ridentia hilaritatem animi ſolent excitare, & inde Cantus, inde Luſus oboriuntur, ipſe in Nazarena, florida nimirum loci ſerenitate ſtudiorum, quibus Nazarenos Alumnos iucundiſſimè inſtruebat, cum verſaretur, nullo pacto Cantus, & Luſus, quos hilaritas acuebat, poterat comprimere; quin potius exprimere cogebatur. Quamobrem non inter dumeta, & nemora, velut

... Alta de rupe canit frondator ad auras,

ſed inter ſuaueolentia florum germina, quæ in Nazareno Viridario iugiter vireſcunt, oblectatus, LVSVS, &

qui-

quidem CANOROS blandè concinit.

Mihi autem, iuuenili tunc in ætate, Canentis cum facilitate elegantiam, & cum venuſtate grauitatem admirãti cupido inceſſit, ea, quæ ederet, colligere, ne perirent. Itaque ex innumeris,quæ caneret, (cum idem cuncta negligeret) hæc pauca iugi diligentia, tanquam ad vitam vindicaui. Hos vero Canoros Luſus cum vniuerſis Litteratis voluptati fore non difidem, Tibi Eminentiſſime Princeps in delicijs futuros etiam certo ſcio, cum Auctorem ipſum, non tam ob ingenij ſingulare acumen, ac ſtyli concinnitatem, (vt ſoles quoſcumq; ſapientes viros) complectaris, verum etiam fauore proſequaris; à teneris enim pueritiæ annis in Tua Illuſtriſſima Domo CARPINEA verſatus Ille pęnè adoleuit:

vbi

vbi & in Viris Illuſtriſſimis Carpineis, non tàm vita functis, quàm tùm viuentibus Toga, Sagoque præclariſſimis, ſuſpexit, & didicit quid poſteà in alijs eſſet commendandum: Ex Tua præſertim tunc incipiente ætate generoſos fructus, quos adulta poſtmodum pareret, optimè auſpicatus. Placida enim Indoles, probi mores, amor Virtutis, & Pietatis in præcoci adhuc ætate facilè oſtendere poterant, quid in matura deinde eſſes producturus.

Nouit Roma in pluribus à te honorificè perfunctis in Romana Curià muneribus, ac præſertim cum inter Sacros Romanæ Rotæ Areopagitas, dixerim, fueris cooptatus, quantà prudentia, quanta inſigni animi integritate, quanta doctrinæ laude præfulſeris, vt non immeritò ab huius

Areo-

Areopagi ſubſellio, ad aliud Vaticani Senatus CLEMENTIS X. oraculo, fueris auocatus, & Purpureis Eccleſiaſticę Maieſtatis fulgoribus Eminẽtiſſimis inſertus, & Zonis Tuis Gentilitijs velut aduinctus.

Excipe igitur, Eminentiſſime Princeps, hos Luſus Canoros, nec enim Te dedecent ſeria tractantem, cum & ipſi ſeria contineant; Pietatem ſcilicet in Deum, ac Cælites, Fortitudinem Virorum Illuſtrium, Prudentiam, aliaſq; virtutes omnes, quibus Viri Magiſtratum obeuntes plurimùm condecorátur. Non ergo indecorum erit Te his Luſibus quandoque detineri, ijſque animum tot ſerijs laboribus detẽtum ſemel ſaltem alleuare; Tuę etiam erit humanitatis munus hoc, qualecumq; eſt, iucundum habere, & Patrocinio, vt

vt Protector Humaniſſimus, tueri. Viue felix, & longæuus ad Chriſtianæ Reipublicæ præſidium, & ornamentum. Ex Collegio Nazareno Kalen. Ianuarij 1672.

Ad Eundem.

QVod Tibi deferimus Princeps digniſſime Carmē,
In Te perpetui pignus Amoris erit.
Ingenio at nequeant cum viuere carmina noſtro:
Viuere da meritis carmina noſtra tuis.

DE

DE LVSIBVS CANORIS
Camilli à S. Hieronymo Cler. Regul. Paup. Matris Dei Scholar. Piar. Coll. Nazareni Rectoris.

O D E.

ABſiſte: Vulgi ſic humlem fugis
Sortem? citato remige ſic tuum
Das ferre Famæ nomen? audi
Eloquij columen Camille.
Sublimiori cardine tollitur;
Nec me morantem vocibus accipit:
Quin miſcet altè concitatus
Se numero Eloquij Parentum.
Suis triumphis hanc quoque gloriam
Addit *Canoris Luſibus* inclytus?
His Fama conſurget canora,
Rauca nouas celebrando laudes.
Quicquid feraci dat Sapientia
Cornu, Camillo prodiga contulit:
Virtutis omnes ſic in altum
Prouehere eſt propriumCamillos.
Hunc tota Patrem Religio Pium fuit Generalis.
Mirata nuper: *Conſilium ſuum*
Et nunc ſtupet, non fabuloſis Aſſiſt. Generalis.
Inuida Pythagoræ Cauernis.

Vrbs

Vrbs Eloquentem dicere comprobat,
Institution. Gram. dedit typis. Seù det *Latina dogmata Palladis*
Prima, aut *Notis arcana ferre*
Inſtit. Epiſt. *Det cupidis elementa Amicis*,
Inſtit. Rhet. Fandi Magiſter *Dogmata Rhetori*,
Inſtit. Poet. Seu *Laureatis vatibus inſerat*,
Seu *Nobilis Florum Loquela*
Faſciculum Orationum *Faſciculo* religet capillos;
Nunc ne virenti termite Daphnidis
Nexus perennes dificiunt comis,
Luſus Canoros, *Vt deliteſcentis Camænæ*
Pandat opes, adhibenda vota;
Quæ ſi *Canoris Luſibus* explicant
Frontem legendam; ſic Sapientiæ eſt
Luſiſſe terris, ſicque ludit
Carminibus ſapienter Auctor.

Io. Franciſcus à S. Petro Mutinenſis
ex eiſdem Clericis Regul.

De

De eiſdem Luſibus Canoris.

AD MVSAM.

DEſine Muſa queri veteres obijſſe Poetas,
Et decus ex patrijs omne abijſſe iugis.
Deſine; nam fulget meliori Carmine Vates
Alter erit Citharæ qui decus omne tuæ.
Aſpice quo curſu ludens petit Aſtra Camillus,
Nec timet æquoreis ponere nomen aquis.
Nam petit innixus firmis ſublimia pennis,
Et quò non ſatis eſt Icarus, Iſte volat.
Ludit: ſed ludens cedro dat digna frequenter,
O quæ, ſi minimè luderet, iſta forent!
Si canit Heroum carmen, dulcedine verſus
Aſſequitur Manti Cycne canore, tuos.
Callimachi breuibus numeris ſi carmina fingit,
Sunt paria arte modis Carmina, Naſo, tuis.
Si Lyricas tangit numeroſo pectine chordas,
Flacce, tuas æquant fila canora Lyras.
Dulcia ſi pingit chartis Epigrammata, vincunt
Pæne tuæ Muſæ, Celtiber, illa ſales.
Ergo ſinas, ò Musa, queri, dum prorſus in Vno
Cunctorumque ſales, ingeniumque vigent.

Carolus à S. Iacobo Tuſculanus
ex eiſdem Cler. Reg.



DIVINÆ NVPTIÆ,

SEV

ANNVNCIATAE VIRGINIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Epitalamium.

QVÆ noua ſub Cœlo conſortia ſacra parantur
Vos mihi, Cœlicolæ, (ſi fas) euoluite tantæ
Sortis opus, pacem æternam, ſanctoſque Hymenæos,
Lætitiæ pars eſſe nouæ potuiſtis, & almæ
Virginis intactos cantu colludere plauſus;
Cæleſti dum caſta ſuo ſponſatur Amanti.
Per vetitum rueret, præceps vbi mortis ad ima
Gens humana nefas, diſſecta mentis habena,

Iam iam crudeles diuini fulminis iras
Omnipotens torquere parat; quò rurſus iniquum
Diſſipet omne genus. Pietas, ſed poplite flexo
Affuit, humanæ gentis miſerata labores;
Sic ait: ò Rector Cœli, iuſtiſſime Rector,
Quos fore victuros ſemper, Superiſque dediſti
Ante pares, iterum qui celſa ſedilia regni
Implerent, colerentque tuum per ſæcula Numen;
Hos patiere reos vectari ad Tartara prædam?
Conſilium æternum manet alta mente repoſtum!
Venturum Vnigenam tenues Sub luminis auras
Virginis è puro concretum ſanguine; Vitam
Qui renouet, miſeris deleto crimine noxæ.
His dictis Pater Omnipotens, miſeratus ab alta
Arce homines, tandem complet pia vota petentis,
Aligerumque vocat roſea ſub veſte miniſtrum
(Cui niueum vincebat ebur data forma coloris)
Qui ſacra delectæ referat ſponſalia Nymphæ,
Nymphæ, quę Charites longè formoſior ibat,
Pulcra oculis, animoque ſimul pulcherrima, nulli
Æmula, cæleſtes donis imitata decores.
Aliger auratas Cęlo ſuſpenſus in alas
Aduolat ad votum Regis propè Nazara ſiſtit
Mœnia; quęque gerit, referat mandata Puellę.
Annuit illa Dei iuſſis, parere parata eſt,
Ancillamque humilem Domino ſe deſtinat: vndè
Fiat, ait, quæcumque canis ſine labe pudoris;
Hinc ſubito purum completur Numine pectus,
Deſcendit Deus, ille Deus, ſanctoque dicatam
In gremio humanam connectit fœdere ſortem;
Inſolitis celebrata modis conſortia ciues
Ætherei applaudunt, ac miris laudibus ornant.
O Hymen, diuinus Hymen, præconia mille
Redde

Redde modis, thalamoque ſacro dà gaudia Amoris.
Dum noua progenies Cælo demittitur alto;
Dumque Deum humanæ Virgo ſociata iugali
Naturæ vinclo, reuocat noua ſæcula Pacis.
O Hymen, diuinus Hymen, cui pignus amantum
Aſſociare datum eſt, quaqua natura triumphet
Exhilarata tui ſpirati numinis aura:
Iam violenta fugit, reuocato tempore veris,
Tempeſtas hyemis duræ, molleſque relaxant
Arua ſinus, rident gemmantia prata pyropis.
O Hymen, diuinus Hymen, præcentor amoris,
Purpureas impone roſas, & crinibus adde
Serta tuis; thalamo manibus da lilia plenis.
Alternis modulare notis, quas innuba ſortes,
Gloria Virginei floris, toto orbe reſignat.
O Hymen, diuinus Hymen, age cælitùs agmen,
Connubio qui digna ferant donaria tanto.
Pars canat, & Cytharas cum pectine pulſet eburno,
Inque choros aptet niueas pars altera plantas.
Tum pia Muſa ſuos demiſſo pectore plauſus
Sic agit: ò Decus, ò Cœli, terræque voluptas,
Nupta Deo, diuina parens, Regina Potentum?
Per te vera ſalus, per te noua vita reſurgit,
Iuno ſalutaris primæuæ tempora Pacis
Redde tuis populis, ſic te depoſcimus omnes.

DOMVS AVREA
SEV
DE ANNVNCIATA VIRGINE
Carmen.

INgenioſus Amor caſtiſſima templa Tonantis,
(Qui ſe contentus, qui ſe præ diues in omne,
Vno ſe felix, vno ſe maximus, æuum,
Non circumſcriptus gyro ſpatiatur Olympi,)
Condere diuinas totus contendit in artes.
Ingenioſus Amor caſtam ſub Virginis aluum
Mirum format opus, quo non fulgentius vllum
Aut videt, aut vidiſſe poteſt conſurgere Cęlo
Mundi oculus, veteris ſpectator lynceus anni.
Non itá cæleſtis ſublimibus alta columnis
Clara; micante auro, flammaſque imitante pyropo,
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,
Regia ſolis erat, radijs decorata coruſcis:
Qualem condit Amor meliori ex ordine ſedem,
Quæ micat exciſis pluſquam gemmata corallis,
Quæ mage, quam flauo ſuperaddita gemma metallo
Sexcentis ornata nouis micat vndique gemmis;
Fulget vbi, rutilatque decor, decus omne coruſcat,
Par numquam Natura dedit, ſtudioſaque nunquam
Æmula naturæ, rerum ditata figuris:
Par nihil arte ſuis fabricatur terra cauernis,
Nec ſinus occludit ditiſſimus Amphitrites:
Pulchrius artifici nihil eſt quod certet Amori.

Gem-

Gemmifera nemoratus humo. Nyſæus Hydaſpes,
Ripaque naſcentem, quę fert gangetica ſolem,
Quique agros vber lydios Pactolus inaurat,
Concedunt tibi, Diues Amor, qui Thracia fuluis
Arua opulentat aquis Hebrus, qui pallida late
Margo Tagi Heſperios refluendo ditat Iberos,
Auſoniuſque Padus turbato ſordidus auro
Sub tua iura ſuas flauas famulatur arenas.
Nil melius ſol ipſe fouet, nil ditius effert,
Vel ſi purpureus Nabathæis exeat vndis;
Vel meta ex æquo medius ſi interſit vtraque,
Vel ſi nocturnas recludat Veſperus Horas.
Ingenioſus Amor ſuper arte potentior omni
Mirum opus annectens, Hominemq; Deumq; latere
Virgineo ſub ventre facit, ceu gemma ſub auro.
Ingenioſus Amor Numen dedit vndique fuſum
Finibus anguſtis gyro breuiore teneri;
Frænari immenſum: lacrimis molleſcere fortem:
Pauperiemque pati, ſolus qui diues habendo,
Dimitti Maieſtatem, ſquallere perennem
Lætitiam: lucem obnubi: gracileſcere vires:
Poſſe mori vitam, qua vita attrita reſurgat.
Ingenioſus Amor, qui tantum præſtitit æquè,
Vt genus humanum pretio diteſcat inhauſto,
Cum pia Virginitas gemmam conſeruet amoris,
Gemma futura meæ columen, ſpeſque vnica gentis.
Hanc molli gremio genitrix blandita ſedenti,
Iam premit ad pectus, cupida iam mente reuoluit,
Atque auido obtutu partes ſpeculatur in omnes;
Donec vbi tandem germano è fonte ſilentes
Irrorarit ęquos nouiès, & cornibus auctis,
Luna peragrarit nono iuga ſumma rotatu,
Illam orbi pretium caſta profundet ab aluo.

CÆLESTE VIRIDARIVM

SEV

DE ANNVNCIATA VIRGINE

Carmen.

AVſpicijs ſignata bonis noua tempora ſurgunt,
Auriferas ſortita vices, decorata ſereno
Sydere, quo fauſto mihi pulchrior hora recurrat.
Iam non ventoſus ſtrepitantia flamina Caurus,
Non Aquilo, non Auſter agit, ſed cælitùs aura
Flaminis ætherei placidum ſpiramen anhelat,
Quo ver tranquillum Zephyro meliore coruſcat,
Et facit in terris inſcriptos nomina Regum
Enaſci flores; quorum faſtigia cultu
Æmula Phœbeos deſpectatura nitores,
Frigoribus Boreas, nec Syrius æſtibus vrit.
Cedunt Heſperidum, cedunt viridaria faſtus,
Nec ſe ſe auratis iactant tollentia pomis:
Fortunatus enim, quem mollior aura ſerenat,
Educat auriferos meliori germine fœtus,
Almus ager, ditatque ſuo de munere terras.
Iam noua munifico Cœlo demiſſa propago
Inſita virgineo (res mira) in ceſpite lucem
Pandit, & auratæ diffundit ſemina ſortis.
Humanam Deus Omnipotens præcinctus ab ęgro
Mortali formam, veteris mala germina prolis
Innouat, & refouet diuini flaminis aura.

Qua-

Qualis, vbi pleno diffuſus lumine, Titan
Accenſis animat reſides feruoribus agros;
Veris vt optatos referant gemmantis honores,
Exactæque cadant veſtigia triſtia Brumæ.
Antea Cimmerijs depreſſis nubibus æther,
Horrifico motu rugiens, trepidoque fragore,
Vndique fulmineo præformidabilis igne
Inter Scylleas rabies, ceu turbine obacto,
Intentat pauidis mortalibus vltima lethi:
Nam Deus vltori Iudex reſidebat Olympo,
Maieſtate potens, & Numine forte verendus,
Talibus in frenis fraudeſque, doloſque premendo.
Aſt, vbi componi libuit noua fœdera pacis,
Conuertit faciem imperij, mentemque ſerenam
Explicat in gentes, veterum veſtigia morum
Oblitus, placidum iuſſit floreſcere Cœlum:
E rigido facilè, è ſæuo libet eſſe benignum
Numen, & è forti tenerum molleſcere florem,
Quem tractent homines manibus, quem luce tueri
Cum valeant, puro mentes recreentur odore.
Sic ita curarum totus deuictus amaror
Effugiat, dulcorque animis noua dona refundat.
Qualia nulla ſuo viridi ſtipata Theatro
Dædala fingit Apis, cum dulcia mella recondit.
Ipſe Deus ceu flos, & apis cum Virginis aluum
Ingreditur noſtræ tenera ſub imagine formæ
Maternum gremium cum Virginitatis honore
Attactu florere ſuo, melliſque tributum
Reddere fecit, amans animorum pellere curas.
Non ſic vitali de flamine concita Tellus
Spirat odoratæ vernalia pignora Floræ;
Lilia, vel violas, Narciſſos, ſeu Hyacintos,
Siue roſas, Nardumq; Crocumq; aut Cinnama, Caltas,

Virginis vt gremium concepto hoc germine vernat:
Mille ibi deliciæ, mille oblectamina florent.
Par nihil educunt rerum Natura, nec Artes.
Gratia tota micat, micat inclita Gratia tota,
Flore oriente vno, flores ſupereminet omnes.
O flos, qui refluis cæleſtia flumina mellis
Virginea de ſtirpe ſatus, te nunc mea verba
Afflantur genitum ſpirantes inter odores,
Tu columenque, decuſque meæ ſpes vna ſalutis;
Tu præſens tutela malis, tu dulce leuamen,
Humano Generi requies, finiſque laborum,
Principium vitæ, Cœlo delapſa voluptas!
Ecce tibi ſortuna vices commutat iniquas,
Præcipiteſque rotas perfringit, & ordine verſat.
In te ſola viget quæcumque medela dolorum,
Qui facis antiquos animi decedere morbos,
Melleus, & rabidos demulces corde furores.
O mihi fas fuerit cupido te Germen Amoris
Attrectare manu, atque inter penetralia cordis
Exhaurire tuum menti ſpiramen odoris!
O quam felices agerent mihi ſæcula Soles!
Nec plura: hoc precor: hic facto iam fine quieſcam.

STELLA SALVTARIS

SIVE

DE VIRGINIS ORTV

Carmen.

ALma dies rediјt, niueo ſignanda lapillo,
Virginis intactæ cum candidus emicat ortus;
Qua naſcente ſuas meliori lampade luces
Orbita Solis agit, nocuos moderata calores.
Nox abit ad Thetim, furuoſque Diana iugales
Soluit equos, pulſis vmbris, tenebriſque fugatis.
Felix auſpicijs fælicibus incipit ætas;
Nam redit vt Virgo, redeunt ſaturnia regna,
Et fortunatus ſæclorum naſcitur ordo.
Cingite Pierides de Virgine fronde corollas:
Cingite condignum de Virgine dicite carmen.
Iuno ſalutaris medias ſub lu minis oras
Occupat illa locum, parteſque annectit vtraſque;
Cum ſuperis homines æterno fœdere iungit:
Mutua vt humanis ſocientur cælica votis.
Stella ſalutis erat, radios exorta benignos
Exerit, & totum mundum fortunat amicum:
Sydereas vbi namque faces de lumine complet,
Illa ſuo, nocui perierunt protinùs ignes.
Iupiter iratas exarmat fulmine dextras:
Saturnuſque procul falcatum proijcit enſem:
Proijcit Armipotens quoque tela triſulca furoris:
Phœ-

Phœbus Olympiacis abijſſet ſedibus exul,
Ni placida inuenta poſt hac in Virgine ſede,
Syrius ardentem rabiem pepuliſſet iniquam.
Ipſa Venus, pulcro quamuis feſtiua nitore,
Erubuit, voluitque alios componere crines:
A maculis infecta genas argentea Luna
Incuruat vultus ad puram Virginis auram,
Aura ſalutaris, nocuas quæ diffugat auras:
Quæque ſerenatos ſemper conſpirat amores.
Hinc, quæ lethales, afflant vaga ſydera morbos,
Abdiderant Erebo ſtygia ferrugine merſos
Cymmerijs habitare vmbris, tenebriſque ſepultos.
Indè procelloſis nec flatibus amplius vrgent
Intempeſtiuos diſiectis nubibus imbres,
Aſtra nec eliciunt ruptis fragoribus ignes;
Sedat Olympiacos hæc vnica Stella tumultus,
Æoliaſque minas, tempeſtateſque potentes,
Ventorum rabies, & nubila terra ſerenat:
Diſcedunt triſtes Hyades, & aquoſus Orion
In ſyluas refugit quondam venator, & ipſe
Nubifer haud totas reſupinat Aquarius vrnas,
Sed roſeos refluit mellito rore liquores;
Cęlitùs in terras vbi dippluit aureus imber;
Scorpion, infelix monſtrum, ſtelliſque malignum,
Protinùs eijcitur, virus ne ſpargat Olympo,
Ac ferat afflatu morbos, peſtemque ferocem,
Nexus ad armatæ bellantia tela ſagittæ:
Virginis imbutus diuino Numine vultus,
Fortunare poteſt, lucem quocumque reuelat,
Tum Canis obticuit feruens latrator in axe,
Inualiduſque Leo flammarum neſcius vltro,
Deliciaſque, nouaſque vices in Virgine plaudit:
Quàm circum ſua Libra refert argentea poma,
At-

Atque dies æqua moderatur lance ſalubres.
Tantum hominum Generi dederat lux optima donũ!
Scilicet illa fuit, tenebras, quæ clauſit Auerno,
Quæque viam populis ad Cælica regna retexit:
Ante quidem terris lux proſpera nulla refulſit.
Huius in aſpectum ſtellarum cælitùs agmen
Accurrit reuocare decus, reuocare nitores.
Hùc Cynoſura venit niueis deuecta quadrigis:
Hùc meliore rota deducit plauſtra Bootes:
Hùc Olor, hùc Lyra,quæque ſigna ſecunda renident,
Ad plectrum emodulans mulcent vaga ſydera cantu;
Hùc Iouis, hùc Ales, mox Pegaſus vſque cucurrit:
Luciferamque facem diuinæ ſortis anhelant.
Hùc ruit ad geminos ſplendet qui lucidus Arctos
Anguis, at inficiens nullum gerit ore venenum.
Hùc Aries niueo oſtentat corpore Villum;
Sed nequit ardenti meditari prælia fronte:
Taurus, & ipſe refert flores, Zephyroſque ſuaues;
Hùc teſtudineus mouit quoque brachia Cancer,
Plurima frugiferis promittens munera campis.
Hùc gemini accedunt concordi pectore Fratres,
Tuta ſalus miſeris vaſto ſub gurgite Ponti:
Hùc Lepus, attollens leuibus veſtigia plantis,
Tyndaridas ſequitur, celeratque per æthera curſum:
Nec pauet ad roſeos naſcentis Virginis ignes.
Hùc impellit equos properos Auriga iugales,
Virginis ad currum cupidus componere habenas:
Hæret Caſſiope properare, aliæque puellæ;
Fortè quòd eniteat formoſior altera Virgo;
Vndique ſydereis caput exornata coronis.
Pleiades Aſſyriam redolent de pectore Myrrham,
Araque conſpicuis viſa eſt venerabilis aſtris;
Ac ſi thura ſuos adoleri vellet ad ignes:

Thu-

Thura, quibus ſacrum veneretur Virginis ortum.
  Hic aderat Crater cæleſti nectare plenus,
Qui pluit Ambroſiam prædulcia vina Deorum:
Ipſa quoque obtulerat radios Iouis inclyta Nutrix,
Virgineam veri Matrem confeſſa Tonantis.
Sydera quot demum cæleſti in vertice fulgent
Hùc properare vides; quales ſub luminis ortum
Accelerant volucres lætas ſuper aere pennas;
Dulciſono varios modulatę gutture cantus.
Non tot Conchiferi numerentur Gangis arenæ,
Nec ſic gemmiferum diteſcit littus Erithræ,
Aut ſimul aurifero ſplendeſcit puluis in Hermo;
Quot fulſere nouis lucentia ſigna pyropis,
Virginis ad lucem melioribus indita flammis.
  Talibus obſequijs Natalem Virginis ornat
Syderibus diues Cęlum, mage Virgine diues,
Sydera Syderibus cumulans pro Virgine nata;
Cui merito felix totus famulatur Olympus.
Stella parens lucis, cunctiſque nitentior aſtris,
Tempore quam circum nullo circumuolat vmbra;
Vna ſalutares auras, luceſque ſerenas
Adſpirat, quòcumque oculos conuertit amantes.
  Hæc non temporibus præeſt, ſed ſemper in æuum
Occiduam neſcit ſortem, ſortita diurnam.
O ſi felici mihi dimicet annus ab ortu
Virgo tuo, fælix fęlicia ſæcula viuam!
Talia dicebam, diffuſo lumine circum
Victa acies cecidit, neque carmina verba refundunt.

AV-

AVRORA ORIENS
SEV
DE VIRGINE NASCENTE
Carmen.

QVæ noua ſub Cælo ſpecies? quæ forma ſub auras
Luce nitens roſea cultam propè Nazaris vrbem
Exerit auratum radijs caput vndique fulgens?
Non vaga ſic Helice: non ſic Cynoſura ſerenat,
Nec ſic à primo Titania ſurgit Eoo;
Aut vehit Oceano nitidum iubar orbita Solis.
Nocte ſub inſolita ſudo micat aere Cælum,
Clarior aſtrorum noua lumine Virgo coruſat:
Hinc mihi diuini, ceù fulgida ſpicula, vultus
Diſtringunt acies, oculos nec tendere contra
Audeo: tam pulcrum eximio decus emicat ore.
Aſtra vident, trepidantque noui miracula partus;
Syderis accurrunt, fauſtum captura nitorem,
Creſcere de tanto ſua lumina lumine anhelant.
Noctiuagos, quæ fortè rotis vaga luna iugales
Ducebat, velox properauit, & obuia plantis
Virginis auratis, argentea cornua ſubdit:
Sydera Syderibus glomerantur, & agmina circum
Efficiunt, pulchriſque comis ſubludere certant.
Exhilaris Saturnus adeſt: Mars adſtat inermis:
Cypria Stella ſuos procul hinc, procul abijcit ignes:
Nec latrare audet rabioſa Canicula flammis,
Aut Leo flammigeros per & ora dehiſcere rictus.

Fila

Fila canora Lyræ pulſat Cyllenius Ales:
Nec Iouis igniferum gerit ardua dextera telum:
Omnia naſcenti placida ſub luce quieſcunt.
Phœbus Olympiacis de ſedibus vt caput effert,
Quæ noua luminibus facies? quæ copia lucis
Viſa ſalutares afflare nitoribus auras,
Cuius ad aſpectum gliſcit, velut agmine facto,
Accelerare gradus Aſtrorum exercitus omnis?
Dixit, & auratis vectus per inane quadrigis
Affuit; exortæ miratus dona Puellæ
Erubuit, voluitque ſuum caligine vultum
Occulere, impatiens ſpecie, deuincier vna
Vna coruſcantis ſpecies, quæ ſyderis inſtar
Illucens terris, ſupero dignatur Olympo.
Omnia Cęlituum cum lumina lumine præſtat,
Obſtupuit primo obtutu, currumque repreſſit.
Aſt vbi ſublimes vidit, quod lapſa per orbes
Aligerum numeroſa Phalanx feſtiua ſubibat,
Obſequium latura ſuæ per carmina Diuæ;
Acceſſit propius; Dominam cognouit Olympi,
Pronus & in faciem radijs circumfluit artus
Virgineos, claroque ſinus exornat amictu.
Nympharum Chorus interea, Chariteſque decoræ
Frondibus aſpergunt ſedes, floreſque miniſtrant.
Pars violas, mixtaſque roſas: Pars alba liguſtra,
Pars amarantheo lectos cum flore hyacintos:
Pars cum Narciſo manibus dant lilia plenis:
Pars adolet noua thura focis, ac fundit odores.
Hinc Chorus Aligerum cantus modulatur, & inter
Quas circum ſuprà exercent de more choræas,
Impulſis neruis cythara colludit eburna,
Dulciùs vt valeant ſyluas, & ſaxa mouere,
Ac lenirę feras, rapidos, & flectere ventos.

Ceu

Ceu quondam volucres concentibus aera mulcent,
Aduentante die roſea cum luce per auras:
Talia ſæpè canit: ſalue lux aurea; ſalue
Inclyta progenies, regumque decora propago,
Aurora Æterni genitrix, & nuncia ſolis:
Quę mare fluctiſonum placas, quæ turbida Cęlo
Sydera tranquillas, tenebris, ac nocte fugata:
Qua veniente citò fugiunt cum grandine nimbi,
Lethaleſque ruunt morbi, neque flatibus vllis
Aſtra procelloſis turbantur in axe fragorem
Elicit haud nubes, qui fulmine territet orbem:
Iam facibus totus melioribus emicat æther.
Plura canunt, quæ Muſa nequit ſuſpenſa referre.
Cum rapitur tantis immerſa nitoribus hæret,
Hæret, vt in nullas erumpant verba loquelas.
Hæc eſt illa dies, albo ſignanda lapillo;
Fortunata dies cunctis; quæ maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

ROSA REGALIS
SEV
DE VIRGINIS ORTV
Carmen.

AVrea ſurge dies, melioribus excita flammis,
Quàm tibi cum pueri licuit cunabula mundi
Viſere in Autumno, ſeu mauis vere ſereno.
Aurea ſurge dies, genialem proferet ortum
Virginis; è roſeo quæ tempora flore coronat,
Lumine quæque ſuo feruentes temperat horas.
Non ego floriferis halantes fætibus hortos,
Magna Dioneç quondam ſolatia Matris,
Expediam cantu: Dauid de Ceſpite nata,
Ceu roſa regalis, cantabo, & nobile germen;
Cum qua naſcenti ridentia gaudia mundo
Lætitijs renouata ſuæ prænuncia ſortis
Approperant; Tu Virgo faue, tuque annue votis.
Alta ſupercilio ſpectabat culmina montis
Nazaret; ac gemino ſundebat brachia flexu,
Vrbs antiqua, Patrum quondam celeberrima ſedes
Iſacidum; flores cui nomina pulcra dedère,
Delicijs opulenta ſuis ceù Theſſala Tempe;
Fortunatorum colles, ſedeſque Beatæ.
Hìc bona pubeſcit fœtu præ diuite tellus;
Hìc noua per campos animatur floribus Hybla
Hìc ridet natura ſuis ornata viretis,

Et paſſim redolet pulcherrima Flora figuris.
Hic Narciſſus habet ſocium te, blande Hyacinte;
Hic roſa cum calthis ſpectacula grata miniſtrat:
Lilia colludunt violis, tulipæque liguſtris.
Aliger hùc Michael auratis ſplendidus armis,
Cælituumque choris cinctus, quibus aurea collo
Cæſaries prolixa fluit, bicolorque nitentes
Penna humeros veſtit, toto velut agmine facto,
Aereum proſcindit iter; mundoque cupitos
Aduenïſſe dies, & ſæcula grata canebat.
Ieſſeo florère canit de ceſpite germen;
Germen odoratum, veluti roſa candida quondam,
Viſa per Elyſios ſine ſente aſſurgere campos.
Virgo redit, reparat veteris quæ exordia mundi,
Et noua reſtituit Saturnia ſæcula ſortis:
Virgineo dabit illa ſuo de ſanguine Verbum,
Quo generi Adamidum clauſus reſeretur Olympus:
Ite procul lachrymæ, duri procul ite labores;
Filia pacati tandem Roſa pulcra Tonantis
Adfuit æterni terris prænuncia veris.
Fœlix auſpicium nouus incipit annus ab ortu
Virginis, æſtiuum quæ Cæli temperat ignem;
Vt comes Autumnus renouet quoque germina florũ.
Dixerat; Angelicis & vocibus excita tellus,
Iam caput extulerat rerum ſpectacla nouarum
Inuiſura, comas ſterilis non preſſa ſeniles;
Contracta nec fronte genas, luceſque iacentes;
Vt cum præcipites doluit defleta ruinas:
Læta ſed exhilari tendebat lumine vultum:
Talibus & dictis tenues diuerberat auras:
Quæ noua felices redeunt per ſæcula ſortes?
Quæ noua mi facies imitatur ſydera Cœlo?
Iam procul exceſſit tempeſtas horrida terris;

Iamque Autumne tui rident cum floribus Agri;
Et cum flore nouo curuatur fœtibus arbor;
Dum Zephyrus roſeis demulcet odoribus auras.
Iret adhuc in verba, ſeges niſi plurima cordis
Exultantis agat, refluens velut vnda, receſſus.
Interea chorus Aligerum per carmina laudes
Virginis ad cytharæ numeros celebrabat amœnos.
Pars ait: O Virgo genus alto à ſanguine Iudę,
O Cœli decus, ò mundi ſpes aurea, Salue:
Ceu roſa ſente procul vernanti luce coruſcas,
Diuino perfuſa ſinus è nectare, fontem
Ambroſiæ mundo ſpargis, quo tetra malorum
Peſtis victa fugit, morbuſque repellitur ęgris:
Tu pede Tartareum calcas, tu conteris anguem,
Nè vomat ore luem, nec ſibilet ore triſulco.
His Chorus Aligerum concentibus aera mulcet,
Ad cytharæ docto pulſatas pollice chordas,
Dulciſonumque melos varia diſcriminat arte,
Et Dominam Cęli naſcentem voce ſalutat.
Hìc aderant ſacræ Nymphæ, Chariteſque decoræ,
Obſequijs effuſa ſuis ad munera Diuę;
Quam caſto excipiunt gremio, nitidiſque lacertis
Tollunt, ambroſiaque lauant, quà cælitùs aura
Dippluit; in roſeos abeunt tunc Virginis ora,
Ora refulgentis vultus Thaumantidis inſtar,
Cum reuehit primos aurata in luce nitores.
Fronte puellari proh gratia quanta triumphat!
Quantaque maieſtas tyrio ſaturata liquore!
Cæleſtes afflat ſpirantia ſydera luces.
Non ſic rore roſas gemmato Aurora decorat,
Cum matutinis ſplendoribus ora dehiſcunt.
Interea molles violas, blandoſque Hyacintos,
Puniceaſque comas, & candida ſerta liguſtris
Aſper-

Aſpergunt Nymphę cunis, ornantque cubile;
Pluribus & donis augent, & tecta coronant:
Dum chorus Aligerum certatim voce canora
Ingeminant laudes, iterumq; iterumque frequentant:
O Cœli decus, ò mundi ſpes aurea ſalue.
Plura canunt, ſed muſa fugax non auſa referre:
Vocibus hæret hians, & amica ſilentia ſeruat,
Ne cum Diuinis, & Oloribus obſtrepat Anſer.

NVBES CANDIDA
SEV
DE VIRGINE ANNVNCIATA
Carmen.

QVid, mea Phœbeo ſub pectora concitus æſtro
Velox mente feror Solimeia per oppida? ſiſtor
Nazaret ad muros Vrbis, cui florida Patres
Nomina fecerunt, varium ſignantia florem.
Hic mihi quæ rerum facies? quæ pulcra repente
Aſſurgunt oculis ſpectacula viſa ſub aſtris?
Specto equidem niueam conſurgere ad æthera nubē
Nuncia Pacis amans gratiſſima fœdera ſignat:
Nam circum varijs ornata coloribus Iris,
Nec pluuias triſtes, nec fulmina ſæua minatur.
In ſpeciem rutilæ Nubes, teretiſque columnæ
Euibrat auratos velut ex adamante nitores;
Credideram veteris renouari ſymbola formę;

TRIVMPHVS SIDEREVS
SEV
DE ASSVMPTA VIRGINE
Carmen.

QVo rapior? quo mente feror? ſuper aſtra repente
Euehor, inſolitas viſurus in æthere pompas:
Cerno triumphali ſublatam ad ſydera curru
Reginam Superum, toto plaudente Theatro
Pars fidibus, lituiſque ſonant, pars carmina mille
Lętitię noua ſigna ſuæ per gaudia fundunt.
Pars titulos, & facta canunt, pręconia laudum.
Virginis ob meritam, quà Cęlica regna ſubibat.
Sublimi curru crines rutilante corona,
Purpureis ſtellata Roſis, ſtellata pyropis;
Qualis ab Oceano ſurgit Titonia Coniux,
Affulget Regina oculis, & fronte ſerena,
Quà Maieſtatem conſpirat, & afflat amorem:
Ex oculis lucem placidam quocumque reuelat;
Ire ſerenatus totus feſtinat Olympus;
Incipiunt radijs fulgère nitentiùs Aſtra,
Influxuſque nouos meliori lampade terris
Dippluere, & fauſtis hilareſcere lucibus Orbem.
Exultat patulum felici lumine Cęlum;
Arcus adeſt varijs pictum, quem nubibus Aer
Solis ad oppoſitum, conceptis vndique flammis,
Circinat ęquali flexu, quo mille colores,

Mille

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Mille trahit, decoratque ſuo curuamine Cęlum;
Atque immortalis teſtatur fędera Pacis.
Hinc ſimùl ęſtiuas deponunt ſydera tædas,
Ardentiſque cadit feruentior ira Leonis,
Nec Canis obſtrepęris terrere latratibus audet,
Aut ſęuire nocens vrenti Syrius igne,
Cynthius in roſeo ſpatiatur in ęthere curru;
Non ſecus ac vernas radijs attemperat horas;
Namque benigna faces extinguit Virginis aura,
Et facit innocua ſplendeſcere ſydera luce;
Omnia in obſequium conſpirant Virginis almę,
Gaudia, lętitiamque fluit patefactus Olympus.
Intereà Virgo graditur ſuper alta Theatri,
Diuorum ſtipata choris geminantibus hymnos,
Lactea ſtellifero qua panditur orbita tractu,
Hìc vbi complures condenſant ſydera luces,
Pręſignantque viam rutilanti tramite Diuę,
Donec ad Empyreos, dotalia regna penates
Deueniat, iuriſque ſui data ſceptra capeſſat.
Hìc Solium illucet gemmis auroque coruſcum,
Quale decus Medi nunquam videre Tyranni,
Aut antiqua Pharos, aut rerum maxima Roma.
Hoc Solio Omnipotens Genitor conſidere iuſſit,
Reginam, cui ſceptra manu, cui ſerta decoro
Impoſuit capiti, Dominam quam pręficit Aſtris.
Circumſtant acies Cęli, hinc atque indè coronant
Reginam cum Rege ſuo, geminantque viciſſim
Supplicibus votis laudes, venerantur, adorant.
Quantus honos, ò quanta micat data pōpa triūpho!
Intonuère iterum plauſus, pręconia laudis,
Quę mortale nequit nexu comprehendere carmen,

FLOS

FLOS NAZARENVS
SEV
DE CHRISTO NATO
Genethliacon.

AVrea gemmiferis ſplendoribus incipit ætas,
Principiumque noui floreſcunt tempora veris:
Inſpice mutato renouetur vt ordine Tellus;
Vt noua ſydereo depulſa nocte Theatro,
Flammigeris rutilet Phœbe gemmata Pyropis,
Aſſociata choro Aſtrorum, cœtuque ſereno,
Excuſſiſſe nigrum nocturno è tempore Syrma
Gaudet in aurato conſurgere lucida curru.
Qualis nulla polo deuexerat ante iugales,
Æmula germanis fulgoribus: vndique totum
Deducit meliora rotis ſua plauſtra per orbem.
Excitus inſolita properæ nouitate ſororis
Quadriugis tum Phœbus equis immittit habenas,
Quò ſimul adſpirent fauſtas ſigna omnia luces,
Cogit abire nouos extento lumine Soles.
Soluitur acris hyems; reſerantur prata pruinis
Diffugiuntque niues glaciali compede fracta:
Pennatus reuolat Zephyrus, gratoque ſuſurro
Pellit humo nebulas, & nubila terra reſoluit:
Omnia compoſitis decurrunt flumina riuis.
Germinat omnis ager, ſua floribus arua coronat;
Alituum reſonat numeroſa per auia cantus,

Ap-

Applauduntque nouum vernare tepentibus auris
Depulſa glacie geniale ſub Axe Decembrem.
Inſolitas rerum facies, vbi ſuſcitat æther,
Et data feſtiuo renouantur tempora flore:
Cum Nymphis iunctæ Charites ſenſere; ſub vnum
Conuenere chorum, lætaſque ex ordine voces,
Cum ſonitu Cytharæ modulato gutture fundunt:
Carmina læta lyris geminant, agitantque Choræas,
Solicitæ vernos hyberno ſydere Soles
Currere, & arentes paleas in germina abire:
Hinc florere roſas, violas, molleſque hyacintos;
Hinc Calthas, Nardumque, crocum,atq; albentia lilia
Vndique odoratæ vernalia pignora Floræ.
Interea celſo patefacto cardine Olympi
Aliger auratas agitat ſuper aere pennas,
Vocibus attonitas Charites propioribus vrget;
Et ſimul attentas in carmina ſuſcitat aures.
O Nymphæ, decus ò mundi, Chariteſque ſorores!
Eia agite, & miras rerum cognoſcite cauſas,
Cur quoque bruma ferat vernantes vndique flores,
Et Cælo, terraque fluant noua gaudia veris.
Ille Deus (quem ſacra canunt oracula Vatum
Venturum tandem Ieſſæo è ceſpite florem)
Iam nunc Bethlemico pulcher floreſcit in antro
Editus è caſto gremio Genitricis; & ille;
Hoc ver tranquillum Zephyro meliore reportat;
Vt non ventoſus ſtrepitantia flamina Caurus,
Non Aquilo, non Auſter agat, ſed pulſa recedat
Bruma procul; ſubitoque niues veſtigia cedant.
Fortunatus enim (quem cælitùs Aura ſerenat)
Bethlemicus ſinus ille; cui viridaria quondam
Heſperidum certare pudent, & Penſilis Hortus,
Educat auratas referentia germina gemmas.
Hic

Hic vbi mirandum cernas floreſcere germen
Inſcriptum magni celſo de nomine Regis;
Cuius ab aſpectu curarum victus Amaror
Eijcitur, dulcorque animis cæleſtis inhæret:
Dulcior è viridi, quam quem ſtipata theatro
Dedala fingit apis, cum mellea nectara condit.
Eia agite, & nati ſacra ad cunabula floris
Ferte gradus, pedibuſque citas Amor ingerat alas,
Concordes aptate modis in carmina laudes,
Et date Virgineis manibus violaria cunis.
Gramineo flos ille thoro, formoſior omni
Sydere, pacatos quocumque reuelat ocellos,
Gemmiferos veluti radios, aſpirat amores.
Dixerat è puro ſublimior Aliger axe,
Cum ſubito numeroſa cohors ruit æthere toto
Circumfuſa nouos in mutua carmina cantus
Adijcit, & lituos numeroſis flatibus implet.
Qui cytharis, qui voce canunt, qui nablia pulſant,
Et chorus omnis agit feſtiuo more triumphos.
Hinc Nymphæ, hinc Charites, hinc omnis, & incola Cęli
Aſſociata phalanx per compita florida plauſu
Bethlemicum venere ſolum, quo pulchrior vllus
Delitijs cumulatus ager non emicat: illic
Lætitiæ fontes, Cœlum, Telluſque capeſſit,
Mille vbi delitiæ, mille oblectamina ſurgunt:
Gratia tota micat, micat vndique gratia tota.
Pulchrum vbi floreſcit caſta de Virgine germen,
Mirantes genitum, ſpirantes inter odores.
Talia voce canunt: ò flos, ò germen Amoris!
O decus, ò mundi columen, dulciſque voluptas!
O liceat tractare manu! ò inter corda reponi!
Quam mihi felices decurrant ſæcula Soles!

Plura dedere modis; ſed qualia Muſa referre
Suſpenſa in tanta rerum nouitate laborat.

DIVINVS AMOR

SEV

IN DOMINICIS NATALITIIS

Genethliacon.

PVrpureis aduecta iugis, dominata per auras,
Inclyta ſurge dies meliori lumine; frontem
Eoam præcinge comis rutilantibus auro;
Vt noua mutatæ plaudantur tempora ſortis.
Surge dies, feſtiua dies, quæ conſcia partus
Virginei, placidos edocta inducere Soles:
Contemplare iterum Diuini Numinis ortum,
Bethlemica ſub rupe Deum, puerile gerentem
Pectus; anhelanti longè feruentius Aethna;
Quamuis ſolicitent brumalia frigora nimbos,
Aeolus ac toto gelidus dominetur in antro.
Diuus Amor ſuperis pluſquam Vulcania flammis
Inter Hyperboreas hyemes incendia miſcet:
Effera quæque magis minitantur flabra pruinis,
Hoc magis ardet Amor, motoque exæſtuat igne,
Ludit, & Arctoi Boreæ penetrabile murmur.
Diuus Amor vernos hyberno in ſydere Soles
Excitat, arenteſque thoros in germina cogit,
Vt noua primæuum Tellus animata per ignem

In flores, fœtuſque ſuos exultet ouantes,
Et reuocet virides viduata per arua triumphos.
Hinc florent molles violæ; molleſque Hyacinti;
Hinc Calthæ,atque roſæ, atque albentia lilia florent,
Hinc medio non vſta gelu micat vndique Flora.
O Amor, O Amor inſolitæ nouitatis Amator,
Sub tua iura cadunt tantarum ſymbola rerum!
Talia ſuſpenſo vates ſermone ferebam;
Cum ſubito noſtras demittitur aura per aures,
Viſus & ante oculos niueo præcinctus amictu,
(Vt reor à facie Iuuenis de millibus Aulæ
Aureus æthereæ) ſuſpenſus in aera pennis,
Dulciſono talem fundebat gutture vocem;
Nè mirere hyemem, glaciali compede fracta,
In ſua florentes deducere frigora pompas:
Tolle oculos, & cerne nouum clareſcere in alta,
(Qualis in Eoo ſplendet pulcherrimus ortu)
Nocte diem, Solemque ſuos in plauſtra iugales
Ducere flammigeros, totoque recurrere Cœlo
Aligeros, quò vertit equos in tempora Phœbe
Aſſolitos reparat per amica ſilentia ſomnos.
Scilicet inuerſo conuertitur ordine mundus
Et noua fit rerum ſeries, noua ſæcula ſurgunt,
Factus homo Deus eſt, nuper de Virgine natus,
Cælica terrenis, ſublimibus vltima nectit,
Gaudeat vt Tellus non amplius inuida Cælo.
Qui Deus excelſa ſuper arce potentior ibat,
Nulli tractandus, luſtrandus lumine nulli,
Fulmineas inter nubes, trepidoſque fragores,
Plena metu rapidos torquebat tela per ignes,
Infantem Puerum cum candida faſcia cingit,
Fulmine deiecto, ſe ſe tractabile Numen
Præſtat in amplexus gyro breuiore reductos,

Virgineos inter luſus Genitricis & vlnas.
Ille Deus, Deus ille ſuo Puer editus ortu
Solis ad inſtar agit fælices temporis horas,
Atque vehit Cælo gratiſſima gaudia terris,
Explicat vt roſea lucem de fronte ſerenam,
Auriferas vitæ renouans cum fœnore ſortes,
Adamidum generi primos inſtaurat honores,
Paciferas largitur opes, moreſque beatos,
Hic venit exitio Barathri, ſceleriſque profani,
Hic Phlegetontæos Erebi pede proterit angues,
Hicque venenatis medicamina morſibus affert.
Ille Deus, Deus ille Puer ſub fornicis antro,
Cum iacet, erectum præſtat ſuper ardua Cæli
Culmina mortalem recto conſurgere greſſu,
Securamque viam reſerat ſtellantis Olympi,
In flores paleas, antrum in cęleſte theatrum,
Inque Deum migrare hominem noua tēpora cernūt.
Tantarum quid plura canam miracula rerum?
Plaudite, & in plauſus totus congeſtiat orbis.
His dictis roſeas ſuſtollit in æthera plantas.
Muſa loqui ſuſpenſa ſuis ſine vocibus hæret,
Æternumque colit per amata ſilentia Numen.

SOL ORIENS
SIVE
DE CHRISTI ORTV
Carmen.

VLtima Cumæi iam venit carminis ætas;
Priſca nouis redeunt ſaturnia tempora ſæclis,
Commendare vices, quas noxia cura ferebat.
Iam bonus auſpicijs felicibus inchoat annus,
Auriferoſque dies, menſes ſuper addit, & horas
Cum noua progenies cælo, velut aureus imber
Dippluit, in toto refluunt noua gaudia mundo.
Nox erat: exoritur cum Sol in nocte coruſca,
Protinus hinc tenebras, vmbraſque, & triſtia noctis
Nubila ab orbe procul, procul hinc in Tartara trudit.
Indè remittit hyems; & ſæuas temperat iras,
Horrida bruma; cadunt ſtrepitantia flamina Cauris,
Nec feriunt patulos peracutis morſibus ornos:
Nulla procelloſis trepidant Aquilonibus arua.
Aurea gemmiferis redimitum tempora ſertis.
Flora cui phrygios componit ſedula cultus,
Ver geniale redit, Zephyríſque tepentibus afflat;
Sic oriente nouo renouantur tempora Sole.
Caſta faue mihi Muſa, tuus nunc regnat Apollo;
Qui decus eſt æui, mundi melioris origo,
Quo nato incipiunt magni procedere menſes,
Cumque mero fruges refluentes vndique naſci.

Nox erat; & Phœbe per amica ſilentia bigas
Ducebat vigiles alto de cardine cæli;
Cum ſubito inſolitis reſplenduit ignibus antrum
Bethlemicum; præſaga Dei naſcentis, eodem
Vertit anhelantes currus, agitatque ſonantes
Quadrupedes, viſura ferant quem lumina Solem:
Nam latè circum radij micuere ſereni.
Virgine natus erat Deus, & mortalis, & Infans,
Gramineo qui membra thoro, quem faſcia circum
Lacteolos complexa ſinus ambibat amictu.
Cum Sene Mater erat ſupplex venerata decorem,
Maieſtas Pueri vultu, quem diua ferebat.
Hic Puer vnus erat cunctis formoſior aſtris.
In medio poſitus, veluti duo ſydera pandit
Lumina, quæ blandos oculos quocumqae reuelant,
Efficiunt Cælum facibus melioribus ire.
Vidit, & obſtupuit Phœbe, feſtiua iugales
Vertit equos, non auſa pati iubar vndique fuſum.
Aſt vbi cæleſtes currum reuocauit in oras,
Nuncia diſpergit toto miracula Cælo,
Quæ ſibi diuini dederant cunabula partus.
Aſtitit attonitum Cælum: collecta repentè
Aſtrorum numeroſa manus ſtudioſa videre
Accurrit, quæcumque refert ſpectacula Phębe.
O quot tùm ſubito facibus denſatur Olympus!
O quanto latè rutilat domus alta nitore!
Phœbus Olympiacis de ſedibus excitus ardet,
Aduentare diem, mediaque in nocte videri.
Protinus vrentes à ſe Venus abijcit ignes:
Et Maia Genitus fraudis non amplius Auctor
Adſtat: & Armipotens frangit tela horrida, telaq;
Iuppiter exarmat rutilanti fulmine dextram;
Deponit falcem Saturnus, & vſque benignum
Aſ-

Aſpectum placido naſcentis conſpicit ore;
Huc properant gemini concordi pectore Fratres,
Tranquillantque dies, tempeſtateſque ſonoras.
Hùc meliore rota deducit plauſtra Bootes;
Hìc inter geminas reſplendet lucidus Arctos
Anguis, ad Heſperidum ſeruator peruigil hortos:
Hùc properant Hyades, quæ circum cornua Tauri
Dediſcunt pluuios rapidis dare fluctibus imbres:
Syrius ipſe ſuo contemperat igne Decembrem,
Nè pelago dureſcat hyems, nec aquoſus Orion;
Huc præcincta venit ſepteno ſydere Virgo,
Caſſiopea comes, Cynoſura, & Gnoſia; circum
Lucet Olor, volucerque Iouis, Delphinus amica
Sydera, quæ ſequitur librans ſe Pegaſus alis.
Certatim ſimul Aſtra volunt de vertice ſummo
Inſpectare Dei ſobolem, quæ ſolis ad inſtar
Et noctes, hyemeſque fugat, Cælumque ſerenat.
Non ſic tot gemmis diues ſplendeſcit Erithra,
Nec tot Conchiferis Ganges affulget arenis,
Quot ſimul in media lucentia ſydera nocte
Innumeris rutilant crines ornata pyropis.
Intereà toto reſonabat in æthere plauſus
Concentu vocum, cytharæ, lituique canori,
Aligerum glomerata phalanx, velut agmine facto,
Obſequium latura ſuo per carmina Regi,
Vndique conclamant lætum Pęana canendo;
Gaudia lætitijs cumulant, vox omnibus vna eſt,
Quà Pax in terris, Cælo qua gloria gliſcit.
Sic tibi, Diue Puer, totus famulatur Olympus.
Nec minus intereà vigiles ſub nocte coloni;
Cuſtodes ouium, Domino gratiſſima pubes,
Admoniti Angelico properant ſermone, ferentes
Munera, quæ fierent teſtati pignus Amoris,

Vt tandem venere locum Bethlemis in antrum;
Poplite deflexo lambunt cunabula Partus;
Oſcula defigunt Nato, pedibuſque tenellis
Depromunt hilari munuſcula corde precantes;
O Diuine Puer blandis nos reſpice ocellis.
O quot Paſtores dulces meditantur amores
Intuiti Infantem caræ Genitricis in vlnis!
Muſa ſile, & ſacras per amica ſilentia luces,
Quas cæleſtis Amor toto diffundit in Orbe,
Excipe, Diuinaſque faces in pectora conde.
Non opus eſt noſtris Partus miracula verbis
Pandere, & attonitas hominum vulgare per aures.
Æternum in Puero Numen veneremur amantes;
Cunctorum Deus eſt, per quem Telluſque, Poluſque
Omnis in amplexu per mutua gaudia plaudit.



PIVS

PIVS TRIVMPHVS

SEV

DE D. THOMA AQVINATE

Carmen.

MVſa triumphalem laurum modulare canendo,
Affecla, quam duplicem retulit Pietatis Aquinas
Vix teneris Infans ætatis ceſſerat annis,
Cum ſubito virtutis amans, ſacra caſtra ſecutus,
Hoſtibus à Stygijs in ſe bella, horrida bella
Senſerat inferri multa vi, fraude, doloque.
Indignata Parens, vanos contemnere faſtus,
Blanditijs puerile ſtudet ſubuertere pectus;
Aſt vbi ſe cernit fruſtrà contendere verbis,
Acta furore, tumens multarum plena minarum;
Excitat armatos fraterna in prælia fratres.
Matris ad imperium violento robore tentant
Conſtantem ſancta Puerum de mente mouere:
Arx erat obtruſo curuati fornicis antro,
Rupibus exciſis, & ruptis vndique ſaxis,
Vnica vix rarò præbebat ſemita callem,
Quà via tuta foret, quà porta anguſta pateret:
Hìc fratrem rapiunt, cæcoque in carcere claudunt;
Hìc ſoror ipſa ſuo blando conamine certat;
Fortis vt expugnet germani pectoris arcem,
Relligionis opus mutata mente relinquat,
Sedis & antiquæ prædulcia dona repoſcat;

Inſtat,

Inſtat, contendit, rogitat, luctatur, & vrget,
Ille tamen dictis auerſas clauſerat aures,
Firmabatque ſuam conſtanti robore mentem.
Altior obducto quatitur cum turbine moles
Firmior aduerſis ventorum motibus inſtans
Ludit, & illudit quæcumque pericula caſus;
Quando immota manens valido fundamine inhæret:
Haud aliter Iuuenis, quem virtus cælica obarmat,
Blanditiaſque, minaſque omnes contemptor abegit,
Victor honoratam referens certamine palmam;
Intereà optatam reuocat poſt prælia pacem,
Dumque ſoporifera meditatur nocte quietem,
Pertentant furiæ totum Phlegetonta mouere
In Iuuenem, decorat cui cana modeſtia vultum,
Et ſeruat caſtos ſincero in pectore mores.
Hos turpare parant, niueumque in Virgine florem
Perdere feſtinant per iniqua cupidinis arma.
Ecce armata dolis, intuſque accenſa fauillis,
Aggreditur mentita Venus, Venus improba turrim,
Syrmatis aurati phaleris ornata reductis,
Aggreditur depicta genas, medicataque vultum
Aſſyrio vnguento, flauoſque perun cta capillos,
Atque oculos torquens, veluti duo ſydera, fronte:
Aggreditur mollire ſinus, animoſque ſeueros;
Mellito talem profert ſermone loquelam,
Dulciſoniſque modis ad prælia blanda laceſſit.
O Pulcher Iuuenis, Iuuenis formoſior omni,
Cuius in ore lepos, in vultu Solis imago
Emicat, & vernis noua gratia floret in annis,
Natus ad imperium, fauſtęque ad culmina ſortis,
Diuitijs opulenta domus, celebrata tuorum,
Nobilitate potens, ſtudijſque ampliſſima belli,
Inſignes, certoſque tibi cumulauit honores:
Deli-

Delicias nè ſperne meas, quas pignus Amantis
Dulcis Amor, dilectus Amor ſolatia præfert.
His dictis collo palmas, & brachia tendit.
Talis ad aſpectum monſtri, ſerpentis ad inſtar,
Contremuit Iuuenis, totus riget, hæſitat, horret;
Qua data porta fugit, petulantis, & arguit auſus.
Exitioſa lues, peſtiſque nigrantis Auerni,
Exitio noſtræ veniſti, perdita, formæ,
Quam cæleſtis amor diuino munere ſeruat:
I procul audaces aſtus, fraudeſque doloſas
Abiice, Tartareas præceps contende cauernas.
Tunc mulier flammis audax præcordia paſcens,
Vrget adhuc verbis penitùs nec victa recedit;
Vlterius pedibus ſequitur; fugit ille ſequentem,
Audaceſque modos contenta voce coercet:
Tutiùs vt caſti conſeruet lilia cordis,
Arma rapit, quæ prima dedit ſubferuidus ignis:
Corripiens torrem, ex lignis, ſudibuſque præuſtis
Torquet in aduerſam tetri Phlegetontis Alumnam;
Ille volans, velut haſta ruit, volucriſque ſagitta,
Ceruſſata nigrat, quæ fœmina pinxerat ora:
Non eſt paſſa pudens ictum carbonis aduſti,
Herculeæ pluſquàm trepidans data robora dextræ.
Indignata fugam celeri capit ocyor aura,
Comprimit & mutam depreſſo murmure vocem;
Extemplò pedibus, quas denegat ipſa voluntas,
Improba, velóces timor incitus ingerit alas.
Continuit Iuuenis greſſus, & peſte fugata,
Voce licet tremula, deflexo poplite grates
Ferre Deo gaudet, tendenſque ad ſydera palmas,
Virgineę implorat præſentia Numina Matris,
Signaque ſacra crucis, palmæ monumenta relatæ,
Torre ipſo efformans per mænia Turris adorat.

Feſ-

Feſſus erat Victor poſt bella peracta! pudoris ;
Lenior vndè quies, non quam lethea fluenta
Effundunt, ſed ab æthereo diffuſa Theatro,
Influxu placido per candida corda recurrit.
Angelus intereà ſupera ſpeculator ab arce,
Viderat obtenti ſpectacula grata triumphi,
Sic mandata ſibi exequitur citò iuſſa Tonantis,
Ac ſubitò formæ iuuenilia ſuſcipit ora,
Indutus trabeam gemmis, auroque rigentem,
Et roſeo pictam pulchrè, niueoque colore,
Cui Zephyris crines auratos ventilat aura,
Frontis honorque micat rutilantis ſyderis inſtar,
Labitur è Cęlo, Turrim petit excitus alis,
Immortale ferens donum, palmæque trophæum,
Quo decet ornari inuictus pugnator Aquinas:
Cæleſtem Zonam, Purus quam texerat Agnus,
Ceù conſeruati decus immortale Pudoris:
Accipe, caſte Puer, dixit, Deus æthere ab alto
Mittit, vt æternum maneant tibi munera in æuum.
Tunc niueos circùm voluens ſacra cingula lumbos,
Ambit vtrumque latus, tollitque Cupidinis ignem;
Sic extincta Venus, penitus depulſa medullis
Effugit; inuictum nullo poſt tempore pectus
Auſa cupidineis ad bella laceſſere flammis.
Hinc vbi cæleſtes repetit citus Aliger ędes,
Angelicis animare modis noua cantica laudis
Audio, qua duplici palma dignatur Aquinas,
Muſa ſile, reſonat dum Cælicus vndique plauſus

DI-

DIVINA SPONSALIA

SEV

DE B. CATHARINA

Epitalamium.

SIſte Hymen, diuinus Hymen, thalamoſq; beatos
Virginis aſpira modulari carmine ſacro.
Tu, Catharina tuis cæleſtibus annue tædis;
Dum tua cum Chriſto fieri ſponſalia pango.
Tempus erat, quo dote micat formoſior omni
Florida Virginitas, quam circum grata vetuſtas
Ora pererrabat, Charitum ſimilata decores,
Viſa oculis ſuperare faces, vultuque pruinas.
Tantus erat niuea ſtellatæ in margine frontis
Fulgor, vt auratis rutilet ſpecioſior aſtris.
Cum niue malarum rubicunda corallia ludunt,
Cumque genis roſeis argentea lilia florent,
Mixtaque purpureo ſimul alba liguſtra colori,
Blanda duella mouent, verecundaque prælia labris;
Sic vincebat ebur, ſic punica mala præibat,
Cum ſimili ſpecie maior certabat Honeſtas.
Hanc Deus, ætherea ſpeciem miratus ab arce,
Dicitur ad Superos hæc talia verba profatus:
Virgo, quæ vultus, animique decore coruſcat,
Quę tam diuinis ornatur dotibns, eſſe
Diua poteſt, non digna homini iungenda marito,
Cæl eſtis merito ſponſi dignatur honore:

Vos

Vos chorus Aligerum feſtiuas ducite pompas,
Dum Genetrix Virgo Nati ſponſalia Chriſti
Fama miniſtra ſacro celebrat cum Virgine cultu.
Dixerat: Empyreos reſerari cardine poſtes
Caſta puella videns, per amica ſilentia noctis,
Talia miratur vigili ſpectacula mente.
Porta ſaphyratis Cæli vallata columnis
Fulgurat, & circum centenis aurea gemmis
Allicit obtutus miris ornata figuris
Intereà, dum læta oculis monumenta tuetur,
Hùc præit Aligerum plaudens numeroſa iuuentus,
Dulciſonis diſtincta choris, redimitaque crines
Auro, quam roſeus circum vndique fulgor honeſtat;
Iucundos inter curuæ teſtudinis arcus
Certatim prædulce canunt Pæana Tonanti.
Hæc dum Virgo ſuis attentis auribus haurit,
Hæret in aſpectu, & Superos meditatur Amores.
In Cælo vlterius Solium collucet eburnum
Cuius multiplici ſtellatur Iaſpide ſedes,
Quam circum pulchris variata coloribus Iris
Fulget, & æternæ teſtatur fœdera Pacis:
Hoc ſedet in Solio Mater, pulcherrima Virgo,
Effunditque iubar fulgentis ſyderis inſtar,
Tota aſperſa roſis, lactiſque aſpergine vultum;
Formoſum Puerum, quo non formoſior alter,
Amplexum manibus blandis ad pectora geſtat;
Hic Decus immenſum de maieſtate ferebat:
Aurati crines argentea tempora cingunt;
Dependent niueis baccata monilia fibris;
Ardentique micat diſtinctum Syrma pyropo:
Hunc circum millena cohors, facto agmine, ludit
Sexcentas laudes, ſexcentaque carmina pangit:
Hinc violaſque, roſaſque, & candida lilia fundit.
Hæc

Hæc inter Catharina ſuam dulcedine mentem
Senſerat impleri gaudens, animoque triumphat.
Nuncius, auratas leuiter ſuſpenſus in alas,
Talibus ad trepidam dictis ſua dimouet ora.
Virgo quid ancipites verſat ſententia motus?
Hùc propera ad Solium, & propius ſpectacula cerne;
Hùc propera, feſtina veni, tu Sponſa Tonantis
Eligeris, noſtroque hodie dignabere Regi.
Dixit, & adduxit Sponſam, quò cęlica pubes
Flauentes radiata comas circumſtat, eundo
Ante thronum, laudiſque nouæ pręconia reddit.
Hùc vbi Virgo venit tanta nouitate Theatri,
Virginis aſpectu Matris, diuique Puelli,
Lætitia exundante labat, trepidoſque per artus
Æſtuat intùs Amor, cordi flammaſque miniſtrat,
Et ſubito Sponſum cæleſtem poſcit amantem.
Tantus honor ſummi, tanta eſt pręſentia Regis!
Intereà totus reſonat concentibus æther,
Dum geminant cantus per dulcia carmina olores;
Dum Diuinus Amans ſponſæ conſignat Amoris
Signa ſui: Digitum gemma, circumdat & auro,
Sinceræ fidei, quæ candida pignora præſtant;
Sic ſua perpetuum conſortia ſancta parauit
Virginis ad placitum cum Chriſto Virgine Virgo.
Hinc Diuinus Hymen, fuerant cui munera tedæ
Virgineę præferre datum, thalamoque beato
Aſtare, auratis Cælo præteruolat alis,
Perque orbem celebrat caſti ſacra fœdera Amoris.

PRE-

PRETIOSA MERCES
SEV
DE VIRTVTIS MERITO
Carmen.

DVlcis Olor cecinit volitans Heliconis ad vmbras:
Ipſa quidem Virtus ſibimet pulcherrima merces,
Nil opis externæ, cupiens, nil indiga laudis.
Hæc tamen vrgetur ſtimulis, laudataque creſcit;
Et patulum reſerat meritorum gloria campum:
Diuitias quaſcumque præit, nec gemma, nec aurum
Præ virtute valent, cunctos præit illa nitores,
Solaque cæleſtes animis inſtillat Amores,
Illa leues mores ſolidat, veſtigia firmat,
Illa Deo ſimiles reddit, Cælique colonos,
Regnat vbi virtus, nihil eſt, quod deficit vmquam
Ecce exempla damus: teneris Tirinthius annis
Egreſſus, ſyluis errans nemora alta petebat,
Quodue ſequatur iter dubio ſub corde volutat,
Neſcius incertæ ſortis, cui viuat Alumnus.
Hic illi geminæ parili non fronte Puellæ
Occurrunt, blandiſque modis & vocibus vrgent.
Vna voluptatis, virtutis & altera nomen
Obtinet; Hæc grauior, ſed vultu comptior illa;
Vtraque deprenſum Iuuenem ad ſua compita adire
Aduocat, in duplicem ſcindit ſe ſemita callem:
Diſſimilis biuij facies; nam plana pateſcit

In

In læuam vario florum gemmata colore:
Altior ad dextram trames grauis, arduus, aſper;
Vix adeundus apex humanis paſſibus: vndè
Neſcius Alcides quoquò comitetur euntem.
Per flores, mollemque viam iubet ire voluptas;
Admonet at virtus fraudes ſub flore latere,
Quæ via multiplici veſtitur gramine pulcro,
Exitio poſt indè ſolet gradientibus eſſe:
Ire iuuat montes, regnant vbi digna labore,
Præmia tranſacto Alcides meliora ſequutus
Per iuga pergit iter, perque aſpra cacumina montis,
Donec in excelſo ſuperato vertice, Virtus
Præcinctum crines auro radiante, Deorum
Victorem appoſuit numero, meritiſque beauit.



MAIESTAS, ET AMOR

SIVE

In Aduentu Alexandri Cæſarini Cardinalis Protectoris Ad Scholas Pias.

PANEGYRIS.

AVdet Muſa nouis animare Poemata formis,
Immenſumque decus numero breuiore vereri;
Maieſtatis enim comes it Clementia, Princeps;
Flammea cum niueo candori Purpura concors
In grauitate potens, clemens in amore coruſcat;
Atque oſtrum regale micat rigido procul æſtro,
Inter ebur flammat iubar; vt roſa mixta liguſtris.
Cedat Alexander, cedat quoque Cæſar honores,
Quot ſibi ſanguineis deportauere triumphis;
Maior Alexander (quem Cęſaris aucta Propago
Alma Ducum Genitrix, Romanæ Gloria Gentis,
Promeruit ſeriem inter nobilitatis auitæ)
Victor vbi palmas meliori ſorte reportat:
Namque Pio indomitum nihil inſuperabile. Vincit
Quod valet horrifero, nec Marte, nec enſe refringi.
Ipſa ferox feritas langueſcit obacta catenis,
Imperio deuicta nouo, clementibus armis.
Ecce tibi Herculeæ ſublimis in arce Columnæ
Regia regnat Auis, fuluo circumdata nexu,

Pacis

Pacis amica, fugans violentos fulminis ictus;
Peruigiles agit excubias, ac tempora Pacis
Plena ſalutiferæ ſeruat, placidæque quietis:
Suſpicit innocuos Soles, iubar vndè ſerenum
Haurit inoffenſi firmato luminis hauſtu;
Vndè ſerenatos oculos quocumque reuelat
Vna beat, mulcetque animos, ſedatque labores.
Sicut vbi auratas oſtentat in æthere luces
Mundi oculus circum nitido vallatus ab orbe,
Nubila', quę in piceos horrent condenſa vapores,
Attenuata cadunt radijs; hinc ſudus & aer
Caligante procul lætum nigredine vultum
Induit, aurati plaudens noua lumina Solis.
Mira canam; ſed vera, ſuis quæ Roma trophæis
Aucta videt, cum Threijciæ cecidere phalanges,
Cæſaridumque domus regnum ſeruata fidele eſt.
Hæc Auis vna fuit quondam Iouis Armiger, auſus
Quando Gygantei cum montibus addere montes
Tentantes auidi regnum cæleſte petebant,
Quæ propè caſurum nixa eſt ſublime Theatrum.
Hæc Auis vna fuit, quæ iam labentibus aſtris
Conata obſequium certæ reparare ſalutis,
Accelerauit agens dare fulmina prompta Tonanti;
Vt coniuratam detrudat funere turbam.
Hæc Auis vna fuit, cuius ſimùl omine fauſto
Compoſita tandem Cælum ſub pace quieſcit,
Dignus & Imperio ſtat Iuppiter vnicus Auctor.
At poſtquam letho Titania monſtra recumbunt,
Obruta flammiuomis nigrantis faucibus Orci,
Illa ſuos mores reuocat generoſa benignos,
Et clemens vigilat placidam componere gentem.
Hæc Auis vna fuit, Phrygio Cerealia Regi,
Quæ cum dona tulit, prædiuia Regna parauit:

Hęc quæ de miſerà felici Numine plures
Conditione viros ad fauſta cacumina vexit,
Quæ non dedidicit cum Maieſtate potenti
Sortitam Imperij dotem ſociare benignam.
Huic datur Herculeos pedibus calcare triumphos,
Marmoreumque tenere thronum, ceu nobile ſignum
Scilicet Alcides Ioue natus, & inclytus Heros,
Poſt vbi ſe celebrem ſeries numeroſa laborum
Ediderat Cęlo victrici Numine dextræ,
Horrida ferrato connexa ligamine monſtra,
Barbariemque ſibi domitam, populoſque feroces
Ante ſuum teſtata decus monumenta Columnæ]
Cæſaridum aſſignat nunquam ruitura tueri.
Sic ratus acceptos Aquila cuſtode triumphos,
Quæ Maieſtatem Imperio clemente decorat,
Affore perpetuos, nulloque à turbine frangi,
Imperioſa poteſt etenim Clementia nutu
Vna poteſtates æquare animoſa Deorum
Cuius in extentum, nullo dominante tumultu,
Gloria floreſcit ſemper victura per æuum.
Hæc quondam Virtus, amplis de ſedibns exul,
Non habet in terris proprias, quas incolat arces,
Vnica Maieſtas Regum ſpatiatur in aulis!
Aſt Deus Omnipotens, & clementiſſimus æquè,
Cęſareo Generi felicibus annuit aſtris,
Atque iterum iuſſit, coniuncto fœdere dextrę,
Vt Maieſtatis fieret clementia conſors;
Hac gemina Nutrice pios componere mores
Progenies diſcit primęuo à limine vitę,
Indè gradu parili, parilique ſimillima cultu,
Æquales perferre animos creſcentibus annis:
Maieſtas, & Amor ſic vna in fronte renident.
Digna quidem Virtus, vltrò cui Purpura ſupplex
Sæpè

Sæpè ferat meritæ diademata plurima fronti,
Et feſtos capiat plauſus venerabilis Aulæ,
In Vaticano veneratur colle decorem
Cæſaridum ſobolem toto laudante Senatu.
Sic Deus Omnipotens, & Clementiſſimus æquè,
Vt ſimiles animis nouit concurrere dotes,
Frontis & Auguſtę lucem rutilare ſerenam,
Te decus electum Princeps à ceſpite Germen
In partem legit Imperij, quod Maximus Athlas
Orbis habet; parili moderandum lege, fideque.
Nec ſic Romanum Regnum, populoſque fideles
Commendaſſe ſatis fuerat, ſed Virginis almę
Religione pium cætum dat iure regendum,
Nè quo corrueret motu concuſſus iniquo:
Scilicet illę tuæ innixus, fretuſque Columnę,
Alarumque Aquilæ protectus tegmine, fulmen
Non timet, Herculeis vincta feritate catenis.
Nunc agite,ò ſocij, caſus quoſcumque ſiniſtros
Nil trepidate: Pios ſeruant bona fata Penates;
Maieſtatis enim comes it Clementia noſtri
Principis, ac niueo candori Purpura conſors
In Maieſtate potens, Clemens in amore coruſcat;
Atque oſtrum regale micat rigido procul eſtro;
Inter ebur flammat iubar, vt Roſa mixta liguſtris
Aſperitate caret robur, quò firmiùs aucta
Relligio, ac Pietas extentum viuat in euum.

IN ADVENTV SCIPIONIS

Ex Com. Helcijs Archiep. Piſani Ad Scholas Pias.

EVCHARISTICON.

VEllet Muſa nouis grates depromere formis,
Et dignum digno meritum percurrere verſu;
Dum tua Maieſtas tranquilla fronte ſerenat
Lumina noſtra; ſuis trepidat tamen anxia votis.
Hinc vocat Aonias ad carmina grata ſorores,
Dicere promeritum, venienti dicere Pæan
Flamini, & egregiæ modulari encomia laudis.
Hic pius Antiſtes, flos nobilitatis auitę,
Helciadum decus eximium, memorabile germen,
Gloria Tyrrhenæ gentis, lux aurea Patrum,
Palma Sacerdotj, legis vox viuida, Pandit
Quam ſortem Phębi numquam cortina retexit.
Vt noua tranquillo reparentur tempora Sole:
Hic Pius Antiſtes Superum cum Rege viciſſim
Imperium gerit in terris, & Numinis explet
Munia, dum populis Pręſul ſacra iura miniſtrat,
His quibus Alpheę proles animata beatur,
Inſpice quid ſignet tibi ſtemmate Regius Ales,
Vnguibus, eiecto, qui fulmine geſtat ariſtas.
Ille idem Phrygio Cerealia munera Regi
Obtulit, & populis felicia Regna parauit.
Hic pius Antiſtes, Chriſti cui ſumma poteſtas

In

In Cererem verax Diuino flamine Circes
Iucundum reparat donum mortalibus ægris,
Atque Mydę fauſtum potiori Numine cernas
Munus ferre manus, tactum quodcumque beando.
Numinis huic Virtus, qua Maieſtate verendus,
Maior Athlante Polos ſapiens moderatur, & aſtra.
Hic pius Antiſtes veluti Cyllenius alter,
Innixus ſacra virga Iouis Arbiter, Orco
Euocat indè animas æternæ in tempora Pacis.
O ſæclum nimium felix, cui fabula ceſſit
Priſca locum, & fictæ reſerauit ſymbola formæ!
Sic Muſæ recinunt modulato carmine laudes,
Heroiſque Sacri celebrant per ſæcula nomen.

F I N I S.



VARIA POEMATIA
ELEGIACA
LIBER SECVNDVS.

VARIA POEMATIA ELEGIACA

LIBER SECVNDVS.

PLAVSVS FESTIVVS

SEV

IN NATALITIIS BEATÆ VIRGINIS

ELEGIA.

FElix auſpicijs nouus incipit annus ab Anna,
Virgineo rutilat candida Sole dies:
Aduenit vt Virgo, redeũt ſaturnia Regna;
Aurea Progenies, ferrea luſtra fugat.
Inſtabiles pudibũda rotas fortuna refringit
Ad Diuæ cunas obſequioſa volat.
Fortunatus enim ſæclorum texitur ordo,
Cum Cælo Tellus fœdera pacis agit:
In-

Inſpice, feſtiuę inter tempora lucis, Oliuam
In Vaticano colle Columba locat;
Hìc vbi quæ florent albentia lilia, Mundi
Inſcripta auguſti nomina Athlantis habent.
Terra animata ſuis fortunat floribus aſtra;
Fortunant Terram lucibus aſtra ſuis.
Mutua reſpondent humanis cælica votis;
Iuno ſalutaris nectit vtraſque vices.
Hanc mediam Deus ipſe locat ſub luminis auras;
Omen vt æterni fęderis indè ferat.
Iris odora ſolo, quamuis è ceſpite Nata,
Hæc tamen Iris erat digna præeſſe Polo,
Aſpice naſcentem radios emittere florem,
Pro quo commutent ſydera flore iubar.
Sydereas præit ille faces, & clarior anteit
Auratam lucis lampada Phœbe tuam.
Vndè coruſcantes aſtrorum luce cohortes,
Huius in aſpectum ſe puduiſſe reor:
Admirata ſuas argentea Luna quadrigas
Frænat, & à maculis obſtupuere genæ:
Sic minium Veneri depinxit protinus ora,
Sic Mars exanimi proijcit arma manu:
Sic Deus altiſonans exarmat fulmine dextram;
Sic tua non caperet Falcifer ora Deus.
Lumina vos teſtor, vos ò clariſſima mundi,
Dicite, ſi quid vbi pulchrius aſtra vident.
Virginis imbutus diuino murice vultus,
Pluſquam cæleſtes eiaculatur opes:
Cui certare decus nihil immortale Dearum,
Audeat, huic vni gratia tota fluit.
Vnica certatum diuini Principis almo
Arbitrio Pomum non ſine laude capit.
Finge genis vernare roſas, vbi lilia certant,
Cumque

Cumque oſtro parili dulce niteſcit ebur.
Purpura fuſa labris, pretioſa corallia gemmant,
Stellatas redimunt lutea ſerta comas.
Vt gemini Soles oculi ſinuentur in orbes,
Inque ſupercilium gratior Iris eat.
Sic totum afflatum mira decus emicat vmbra,
Sic violis ludunt alba liguſtria nigris.
O quæ Maieſtas vernanti in fronte coruſcat!
Huic ſimilis Charitum gratia nulla micat.
Vndique grata pios aſpirat, & afflat amores,
Et rapit ad riſus lumina quęque ſuos:
Qualis amoriſero plaudit ſpirabilis ore
Pendula de viridi ceſpite Nata Roſa.
Et quocumque ſuos teretes inflectit ocellos,
Illùc Diuinus corda laceſſit Amor,
Ille Amor illaqueat ludens, hominemque, Deumque
Exhilaratque ſolum, exhilaratque Polum.
Inſpice tota phalanx quaqua ſtudioſa tueri,
Certatim dignum currit in obſequium.
Alma parens pleno geſtat munuſcula cornu,
Frugiferaſque ſinu ſedula fundit opes.
Inque Autumnales vernantia pignora fructus
Pomonę ad placitum Flora ſodalis agit.
Approperant Nymphę, quotquot legere caniſtris
Germina depictis munera odora ferunt.
Pars latè circùm ſpargunt cunabula fertis:
Mille coloratis tecta oluere comis;
Pars ducunt choreas, & docto pollice neruos
Pulſantes melica ſydera voce ciunt.
Pars phrygias faſces, & candida lina dedere;
Omnis in obſequium ſedula Nympha venit.
Aſt agite ætheręæ panduntur cardine portæ,
Et volat è celſo limine Dia cohors,

In-

Infantem viſura, cui terra æmula Cælo,
  Lætitię ingeminans, Io triumphe, canit.
Hęret in aſpectu Diuinæ Virginis, hæret;
  Fundit & inceptum gutture dulce melos.
O quot Virgineæ rutilant ſpectacula dotes!
  O quot amoriferæ dimicuere faces!
Quid faciet tunc Dia cohors? ſuper aſtra redire
  Vellet; at Infantis forma beata trahit;
Ite, ite Aligerum mentes, Chorus inclytus infit
  Nympharum, volucres áccelerate gradus.
Nunc agite: hanc noſtram Cælo contendere Terram
  Cernite, quæ Diuam Virginitatis habet.
Hinc reditum Aligeri certant, ſed in æthere ſummo
  Inſolitum adſtantes obſtupuere iubar.
Quę noua ſit rerum facies, ſpeculantur, habentquo
  Hanc Maieſtatem Numinis eſſe Dei.
Cernite, dixerunt, ſupremus Iuppiter almę
  Virginis ad plauſus, ductus Amore venit.
Ductus Amore venit, Diuumque in lumine Numen
  Virgineis gaudet pandere luminibus,
Conticuere omnes, & luminis vndique fuſas
  Non valet vlla acies ſuſtinuiſſe faces.

BEL-

BELLVM PRAEPOTENS

SEV

DE VOLVPTATE NOXIA

Elegia.

Nè abſtrahatur in via voluptatis mens tua, multos enim deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. Prouerb. 7.

INgeminant plauſus populi, noua gaudia feruent,
 Perſonat aereos fauſtior aura lares.
Euohe vox reſonat, reſonat vox Euohe: Bacchum
 In ſua vota frequens concita turba vocat.
Bacchus adeſt, non qualis erat, diſcrimina Martis
 Cum ſubit armorum robore, & ære grauis.
Cum femur æratum ſtipanti milite cingit,
 Cum citat horriferas ærea Concha neces.
Dum petit Indorum victrici puppe triumphos,
 Nec fugit vndantis damna timenda viæ.
Dum neque bellorum ſæuos timuiſſe furores
 Fertur, in ardentes feruidus ire minas,
Fortis & aduerſa frænabat compede luxum,
 Nè rueret nocuis in ſua caſtra dolis.

Vndè

Vndè triumphato palmas Oriente decoras
  Explicat, inuictæ ſigna verenda manus.
Totus adeſt molli florum phrygiatus amictu,
  Frondentique virens germine pictus adeſt.
Pampineis Thyrſus dextram de frondibus armat;
  Incomptas redimunt frondea ſerta comas:
Cui comes it luſus, Riſus ſociatur euntem,
  Quem circum ſtipant delicioſa cohors.
Proque triumphali lepidas dare Marte choreas,
  Gaudet & alterno pingere calce ſolum.
Concentus miſcet numerorum lege ſolutos
  Confuſa blandum perſtrepit arte melos.
Caſtra regit ductor confractis luxus habenis;
  Sola voluptatis cura triumphat equis.
Et pro ſanguineo, quem fundit ſica cruorem,
  Vitrea flauenti purpurat vrna mero.
Ebrietas diffuſa comis è vertice toto
  Nutat, in ancipiti, ceu rota ducta globo.
Hùc profuſa Ceres ſuffundit fercula menſis,
  Fercula largiflua dulcius aucta dape.
Hùc mentita Venus, Stygijs armata fauillis,
  Carpit iter velox, acceleratque gradus:
Portentoſa facit luſus ſpectacula formis,
  Fictaque mentitos veſtit imago ſinus.
Scena coruſcanti pretioſior vndique faſtu
  Vſque theatrales geſtit inire Iocos:
Tales turba ſuos agitat phalerata triumphos,
  Vrbis & in tota parte Lyæus ouat.
In choreas, in feſta ruit, lætuſque frequentat
  Pocula multiplici delicioſa mero.
Indè per aereas clamor volat incitus auras,
  Ac reſonat fauſtas vox animoſa notas.
Mulcebat tum fortè leui ſua teliſer Ales

Mem-

Membra ſopore; cadit cum grauitate quies.
Curuatum de more humeris ſuper ingerit arcum,
Apparat accinctum condita tela latus.
Præpetibuſque ruit, volitans ceu fulgur, in alis,
Ante pharetratus ludit in arma Chorus;
Non ita confuſo conclamant arua ſuſurro,
Incomptum fugiens dum fremit agmen apum,
Vt veſana furit vano gens ebria luxu,
Ardua clamoſis verberat aſtra ſonis:
Attonitus Mauors, tanti quæ cauſa fragoris
Neſcius, ardentes induit enſe manus:
Vt videt inſolitum conuerſo more trophęum
Erectum Baccho, corda dolor cruciat.
Ære ſuos rapidos accendit ad arma maniplos,
Cui Bellona ſoror currit anhela comes.
Conſtitit ante choros, & verba minacia fatur,
Ex oculis vibrat, turgidus ore, faces:
Bacche tuos conſiſte pedes; quæ norma triumphi:
Quid tibi turba frequens Euohe cantat iners?
Victor ego, me palma decet, mihi debita, noſtri
Pompa triumphalis moris ad inſtar eat.
Non licet amentes ſtabili ſub pectore luxus
Illecebris mixtos exagitare foris.
Si quondam rigidis ſteterat victoria dextris,
Quid iuuat in molles proſiluiſſe iocos?
Si labor inſtantes peperit ſibi victor honores,
Quid tibi blandiferum ludis inire nefas?
Feruidus inter opus verſor mucronibus auctum,
Iam compeſce tuas deſidioſus opes.
Dixerat, & Bacchus contrà ſic incipit: heus tu
Ablue ſanguineo tela cruenta mero.
Pone ſupercilium, nec te furor impius vrat,
Ira nec incenſas euomat ore faces:

Iam tua ſæuities multæ ſatis ebria cædis;
Submittat noſtro colla ſuperba iugo.
Victor ego, & ſine cæde vocor dominator in orbe;
Illecebris cedunt bellica iura meis.
Tu depone truces gladios, depone furentes
Mucrones; thecis ſpicula redde ſuis.
Pergis adhuc? quaſi pompa tuo ſibi debita bello?
Quæ vibrat Idalius concipe tela ſinu.
Intereà volitans atrata in arundine cuſpis
Martis ad interitum ſaucia corda ſubit.
Ille cadit proſtratus humi; velut arbor obacta,
Quam Iouis aduerſo turbine fulmen agit.
Accurrit Bellona fremens germana cadentis,
Poſcit & in pænas, Dira Megæra, reum,
Ah mentite Puer turgenti murmure vocis
Increpat, in noſtram, tu Puer, auſe necem?
Inter adulta meæ confixus vulnera dextræ
Exiguam tandem cogam vt agas animam.
Mater vt Idalio minitari talia ſentit,
Irruit ad nati prouida damna ſui:
Heus Bellona, inquit, galeatas diſijce criſtas;
Conde cruentiferas, conde, reconde manus.
Nec te flammifero vindictæ percitus æſtro
Feruor agat; ſubitùm ſi cecidiſſe fugis:
Conde, reconde manus armatas enſe; quid inſtas?
Euertet noſter vel tua caſtra Puer.
Vix ea dicta dedit, quando Bellona ſub ictu
Ingemit infixo corda petita ſinu;
Qualis, & expleto langueſcit turbo rotatu,
Talis & illa iacet languida terga ſolo.
Irrumpunt ſocij comites, quos Armiger vultor
Propugnatores in ſua caſtra tulit.
At miſerum! torquente choro fatalia pennis
Spicu-

Spicula, tot perimunt, quot petiere viros.
Ceù ſolet alituum liquido grex æthere labi,
Granifero ſclopus puluere quando tonat.
Viderat hæc alto ſpeculata cacumine Pallas
Funera, pręſentem tradere anhelat opem.
Iam propè ſublimi cernit ſpectacula greſſu,
Qualia nulla vnquam bellica ſcæna dedit.
Vvlnere blandifero nouit periјſſe cohortes
Inuictas, lachrimis talia triſtis ait.
Heù fucata dolis rerum proſcænia miris,
Quæ ſternunt validos ad ſua vota duces!
O quantum mutata valet, Semeleie, Poteſtas,
Quàm iuuat Idalius, quàm Venus, atque Ceres!
Quàm firmant luxus, animat quam blanda voluptas,
Quam fouet ebrietas, cui fauet atque ſopor!
Indica Regna tuis munito milite, & armis,
Victrici poterant vix ditione premi:
Nunc etiam maiora audes ſine viribus vllis
Armorum, blandus ſubdere Regna paras!
Marte triumphato video ſubmittere claſſes
Te potuiſſe tuis non ſine fraude iocis.
Heù veteres oblita potens victoria mores!
Quam vili pereunt conditione Duces!
Quos antiqua Deos fortiſſima Numina belli
Tempeſtas coluit; quid Puer vnus agit?
Ecce tibi armatas victricia ſigna phalanges
Deteſtata ſuas mollia caſtra nouant!
Marte quid aſperius? quid Marte ferocius? Eheù,
Mars tamen ad Pueri concita tela ruit!
Heù Germana Soror, quæ contra audacior ibat;
Fatigerę iactu cuſpidis icta cadit!
Heù nimium lachrimanda meo fortuna dolorè!
Heù inuiſa oculis Tartara monſtra meis!

Annè Poteſtati ſunt omnia ſubdita veſtræ?
In vos præſtabunt Palladis arma nihil?
Quam fera prætendunt furioſæ Gorgonis ora,
Cui tegit inuictas ægis, & haſta manus?
Siſtite iam veſtros, horrendum, ſiſtite faſtus,
In vos Imperium caſta Minerua gero.
Quid procul hinc oculos trepidantes vertitis? anne
Anguiferas nequeunt ſuſtinuiſſe comas?
Sic ait: inſtanter ſentit volitare ſagittas,
Quas iacit è medio dextera tecta choro.
Icta foret, ni certa ſuę monumenta ſalutis,
Obijceret clypei fortia ſigna ſui.
Tum quid agam? dixit, latitat iaculator, & inſtat,
Non pauet anguicomum, dum latet, ille caput.
Si nunc terriſonam mea dextera fulminet haſtam
Haſta nihil contrà, dùm latet ille, poteſt.
Quin magis exitio ſunt tela latentia noſtro,
Vvlnus & occultum fortius oſſa premit.
Hinc potius reuocare pedes ſit cura volantes,
Nè luat inſidus Numina noſtra Puer,
Talia in ancipiti ſecum Dea corde volutat.
Tutior in Patriæ Regna ſuprema fugit.
Hìc vbi tutatrix comites defenſat Alumnos,
Quos dederant ſubitæ Martia fata fugæ.
Nec ſinit eiectos penetrare Cupidinis arcus,
Nec portentiferæ tela ſubire necis.
Dumque Lyæus agit Tyrſo feriente ruinas,
Et necat incautum perdita turba genus
Illa graui mœrore dolet diſcrimina Gentis,
Et largo humectat flumine mœſta genas.

L V-

LVSVS FORTVNAE, AC FAMAE

AD

PATREM VINCENTIVM COMNÆNVM

Elegia.

FOrtuna, & Fama audebant contendere ludo;
Vtraque ſic vires expoſitura ſuas.
Flauia Comnęnum Eois gens imperat oris,
Atque poteſtatis iura verenda gerit.
Cum Dea cæca ſolet, ludum quæ ludere iniquum,
Neſcia ſtare ſuo mobilitate loco,
Sic fortuna, inquit, Generi magis inuida Regum,
Nunc, Fama, eſt opus hoc ludere in Imperium:
Inſtabili miſcere ioco lubet vltima primis,
Sublimes Turres ęquiparare caſis.
Summis ima lubet conuertere, & omnia rebus,
Atque magis fortes fortiùs opprimere.
Hinc oculata Dea oblatam ſibi credit arenam,
Vndè triumphatrix clara trophæa ferat.
Conſtitit excelſum ſuſpenſa per æthera pennis;
Inuiſura iocum, quem Dea cæca facit.
Hinc Fortuna rotat caſus, quibus inclyta proles
Comnęnum è celſo culmine verſa ruat:
Omne mouet fatum, lethales Mortis, & vrnas,
Eumenidumque imas, Tartara & ima mouet.
Odryſies in bella mouet, mouet horrida bella,
Iuratamque audet ſollicitare fidem.

Sæua fremit rabiem; populoſque in bella ruentes
Immixto vertit funere, cæde, nece;
Ceù quondam denſo de turbidus aere nimbus
Inuerſam tetra grandine quaſſat humum:
Depopulatur opes, & depopulatur honores;
Diripit & vitam, diripit imperium:
Eleuat indignos; ſubuertit & improba fortes;
Comnęnos patrio cogit abire loco.
Flauia (proh miſerum] colluſa potentia rerum eſt:
Luſit, & illuſit perfida cæca Duces.
Quid faciat tunc fama potens, cui dextera fortis
Æmula ſub ludum ludere præripuit?
Inclyta magnanimos concepit pectore ſenſus,
Et ſe victricem ſe tamen eſſe canit:
Illa tubas inflat, totum reſonatque per orbem
Nuncia Comnęnum non periiſſe decus.
Irridet ſtolidum fortunam ludere ludum,
Ridet, & inſanas ſic variare vices.
Non mutat fortuna genus; licet inuida poſſit
Imperium, dixit, non animum eripere.
Imperio ſors, & Virtus miſcentur in vno;
Hæc ſemper viuit, ſi queat illa mori.
Virtus viua manet Generis teſtata decorem;
Conſcia totius poſteritatis erit.
Viua erit in chartis, cunctis populiſque loquenda:
Laudibus inque ſuis viuida ſemper erit.
Nominis æterni viuax, ego Fama pererro
Orbis ad extremas non ſine laude plagas.
Poſt cineres Comnęnum non morientur honores:
Sed meritis cumulus maior honoris erit.
Si Fortuna tulit Regnum, ſi Sceptra, Coronam;
Virtutes animo, nec Genus eripuit.
Inſpice Comnęnæ ſtirpis venerabile Germen;

Quod

Quod Fortuna nequit comprimere inuidia.
Inſpice quot fructus meritorum parturit Orbi:
Orbis vt Imperio forma ſit illa ſuo.
Comnenus ſacros degit Vincentius inter
Cœtus, Doctrinæ, & Relligionis honor.
Hic eſt Ille ſui Generis teſtator honeſti:
Tot meritis fulget, quot vehit aſtra Polus.
Hic erit ille ſua vitæ probitate decorus,
Qui veteri niteat ſtemmate dignus erit:
Dixerat, & volucres expandit Fama volatus,
Comnenumque canit tempus in omne decus.



AD EVNDEM

Elegia.

LVdere in Imperijs potuit Fortuna frequenter,
Ac tragicis viſa eſt ſemper adeſſe iocis.
Aurea colluſit Regni per tempora quondam;
Aſſyriumque potens occidit Imperium.
Denuò colluſit per Regni argentea ſæcla,
Perſarumque potens occidit Imperium.
Auſa iocos iterum ſuper æ rea pulpita ſcandit;
Græcorumque potens occidit Imperium.
Nec ſatiata iocis per ferrea ſæcula luſit;
Romanumque potens occidit Imperium.
Aſt vbi in Eois iuſtum conſpexerat oris,
Quod Comnęna domus poſſidet Imperium;
Ludere in Imperium ſolito de more petiuit;
Exerit & vires inſidioſa ſuas.
Occidit Imperium Fortunæ ad robora cæca;
Aſt Comnęna fides non moritura manet.
Fama oculata ſuis plauſit primordia Gentis;
Et ſeriem faſtis tempus in omne canit.
Si Fortuna potens potuit ſubuertere Regnum,
Quod Comnęna diù Flauia gens habuit.
Has Dea cæca ſolet rerum colludere ſortes;
Atque magis fortes fortiùs opprimere;
Non tamen illa poteſt virtutem vertere mentis:
Nec vires animo, nec Genus eripere.

SPE-

SPECIES DIGNA IMPERIO

AD SINCERVM AMICVM

Elegia.

E Rebus cunctis, quas Summus condidit Auctor,
Nil homine in terris dignius eſſe vides,
Igneus eſt olli vigor, & cæleſtis origo,
Mens, Animus, Ratio, Vox, Anima, Ingenium.
Os ſublime gerit, Cælumque tuetur, & aſtra:
Vt gemini Soles fronte micant oculi.
Conſpicuam vultus ſpeciem, totamque figuram
Corporis, appoſitam dixeris Imperio:
Cum Virtus quoque pulcra ſuis fulgoribus adſit.
Humanum pectus continet omne decus.
Si tamen Eloquij miras cognoſcere vires,
Ingenijque cupis; cœlicum vtrumque puta.
Eloquio noſtræ totius commoda vitæ
Proueniunt: nulla eſt vita ſine Eloquio.
Suſtulit Eloquium mores, habituſque feroces:
Ciuile obſequium contulit Ingenium.
Ingenium cædes, & Martis iurgia tollit;
Eloquium ſanctas ſeruat Amicitias.
Hinnit equus; latrantque canes, rugiuntque leones;
Solus homo loquitur prædìtus Ingenio.
Solus homo Ingenio, de ſenſibus ante receptos
Arcanos partus explicat Eloquio.
Nudus, inermis homo, qualem natura creauit,
Ingenioque poteſt, Eloquioque valet,

Dirigit hic rerum ſeries ex omnibus vnus,
Vocis & Eloquio, mentis & ingenio.

AMICI MORS DEPLORATVR
Elegia.

HEù dolor! Heù lachrimę! mea lumina fũdite fletus
Vnicus interijt Scipio noſter Amor.
Heù dolor! Heù lachrimæ! mors auſa maligna necare,
Fas erat ętątes cui dare Neſtoreas.
Heù dolor! Heù lachrimæ! Corpus concluditur vrna;
Magni Animi dignum quod fuit Hoſpitium.
Tollitur aſpectu carus, dulciſque ſodalis:
Ille honor intactæ verus Amicitiæ.
Cui non ficta fides animo; ſinceraque menti
Enituit Virtus, ingenuuſque Pudor.
Heù dolor! Heù lachrimæ! mea lumina fundite fletus
Pars animi perijt, dimidiumque mei.
Interijt multis nimium lachrimabilis ille;
Sed mihi, quam multis, flebilis ille magis:
Ille mihi fido ſemper coniunctus amore;
In vita potuit dulcius eſſe nihil.
Heù dolor! Heù lachrimæ! mea lumina fundite fletus.
Qualis amicus obit: Heù dolor, heù lachrimę!
Orpheus alter erat cantu, fidibuſque canoris:
Nec potuit mortis flectere duritiem.
Heù dolor! heù lachrimæ! ſed ſiſtite lumina fletus:
Non redit in vacuos mentis imago ſinus.
Quidquid erit ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Suffer, quodque nefas eſt tibi, corrigere.

CAN-

CANDIDO AMICO

NE AMICI OBITVM FLEAT

Elegia.

QVid ploras obitum capitis morientis Amici?
Hęc lethi cunctis eſt adeunda via.
Si quis ſceptra gerat, ſi quis diademata geſtet,
Natus vt eſt nudus, ſic quoque nudus obit.
Naufragus orabat Nautas Archita ſepulcrum,
Et condi exiguo puluere corpus humi.
Nè mirere, inquit, terras qui menſus, & aſtra,
Si potui ſortis neſcius eſſe meæ.
Naturæ, verique prior ſcrutator adiuit,
Trans ſtygias Samius non rediturus aquas.
Alcides obijt quamuis conuiua Deorum,
Atque ſuam traheret de Ioue progeniem.
Quidquid erit durum leuius patientia reddit.
Hinc triſtes lachrimas, Candide, ſiſte tuas.
Tardiùs, aut citiùs metam properamus ad vnam:
Nulli hominum parcit Parca ferox capiti.
Neſcia ſola mori Virtus eſt inclyta: Quiſquis
Vvlt immortalis viuere; Iuſtus erit.

PAX

PAX AVREA,

Bellum Ferreum,

AD PRISCVM AMICVM

CONtemptor Pacis, Belli qui tempora laudas,
  Confer vtrumque ſimul;noſce quid eſt melius.
Aurea Pax rerum conſeruat vt omnia Cuſtos:
  Hæc eadem peſſum ferrea bella ferunt.
Diuitijs refluunt Vrbes, quę Pace tuentur:
  Diuitijs bello ſubdita Regna vacant.
Ruricolæ campos tranquilla pace frequentant,
  Aduerſo in bello rura relicta iacent:
Cum Toga ſceptra gerit, ſtudia exercentur, & artes;
  Cum gerit arma Sagum: docta palęſtra ſilet.
Omnes in placida Virtutes luce coruſcant;
  Turbato ſurgunt tempore mille doli:
O vtinam Pacis felicia ſæcla perennent!
  O procul & belli tempora triſtis eant!



DIES IVDICII TIMENDA

AD FLAVIVM AVDITOREM

CVr vitijs hominũ mens improba laxat habenas?
  Et nihili ſcelerum damna timenda putat ?
Non etenim repetit, quæ ſint ventura dierum
  Tempora; cum punit Iudicis ira reos.
Tempus erit, quo cuncta metu concuſſa feruntur,
  Terra ruens aperit motibus acta ſinus.
Iratus tumidis ſæuit Neptunus in vndis;
  Iupiter intorquet fulminis arma ſui.
Phębus in atratis percurrit veſtibus Axem,
  Et vacat à ſolita luce Diana ſoror.
Sydera fixa Polo Terris caſura ruinam
  Portendunt: rixam frigus, & æſtus habent.
Bella mouent homines, & mutua prælia gentes,
  Intonat interitus horror vbique minas.
Tunc Tuba terribilem ſonitum canit æthere toto,
  Quò celer è tumulis mortuus euigilat.
Quæſitor ſcelerum veniet, Iudexque ſeuerus;
  Qui nunc cuncta videns abdita facta notat.
Tantorum admonitus ſignis memor ante malorum;
  Si quis non fugiat crimina, ſtultus erit.

VACATIO A' STVDIIS.

AD ALVMNOS.

Vidi (vera cano) mollis ſub imagine ſomni
  Pierides noſtrum linquere Gymnaſium.
Vidi Muſarum quod Dux præiret Apollo;
  Poſt Muſæ properant ordine quæque ſuo,
Quò fugitis, dixi, quò greſſum tenditis vltrò!
  Quo ſimùl inſolitum vos properatis iter?
Hec mihi reſponſum viſus tunc reddere Phœbus
  Caſtalij dulces fontis adimus Aquas.
Hinc ſubitò ceſſere: & ſomnus lumine ceſſit:
  Mens ita peruigilans irrequieta manet:
Mecum multa loquor: quæ ſint hæc ſomnia quæro:
  An ſi quid verum ſomnia viſa ferant.
Auguror hinc, & certa puto per ſomnia, verus
  Quod fictis etiam ſenſus ineſſe ſolet.
Grata quies Phœbo, gratiſſima & Otia Muſis:
  Omnis in aſſidua diſplicet Arte labor.
Sit ſtudijs igitur finis, quem labilis annus
  Attulit, & laſſa mente quieſcat opus.
Si noſtra celeres ceſſerunt æde Camænæ;
  Cum Phœbo ad fontes atque abjere ſuos,
Ergo valere libri, calamique valete, papyri,
  Docte Maro, Cicero, Gymnaſiumque vale.

FINIS.

LIBER TERTIVS:
VARIA POEMATIA
EPIGRAMMATICA
LIBER PRIMVS.

EPIGRAMMATVM
SACRORVM
LIBER PRIMVS.

SACRATISSIMI
ROSARII
Læta Myſteria.
ANNVNCIATIO
AD VIRGINEM.

NVncius integri thalami venit Ales ab Alto;
Lilia cana gerit: ſigna pudoris erant.
Quę videt vt Virgo, parilis quoq;ſigna pudoris
Excitat,ac niueo cōcipit ore roſas.
Lilia iunge roſis; ſunt vnica ſigna Pudoris:
Sic Roſa præcinitur Miſtica Virgo Parens.

VI-

GLORIOSA MYSTERIA

Reſurrectio Domini.

MOrte triumphata cælo noua vita reſurgit,
Quam mors vt caderet, fixerat ante Cruci.
Tertia ſed vitæ reduci de funere palmas
Lux tulit; vt longum Iò triumphe canat.
I Mors fige Cruci vitam: ſic pulchrior exit,
Ceù Roſa, de rigido ceſpite Vita mihi.

Aſcenſio Domini.

CHriſtus agit memorẽ poſtquã de morte triũphũ,
Eximit & noſtro vertice triſte iugum.
Nube ſedens niuea, proprioque à Numine vectus.
Sydereas repetit, patria Regna, plagas.
Hic Genus Adamidum beat: hic noua vita coruſcat,
Cunctis nuda malis, ceù ſine Vepre Roſa.

Miſſio Spiritus Sancti.

PEctora ſollicito fluitant imbellia motu,
Auſis quæ ſolidat viuida lingua nouis.
Biſſenos animat Proceres vigor entheus; igne
Dulce fouet tremulos cælica flamma ſinus.
Vt vegetent curas inter, rigidoſque labores,
Ceù Roſa per ſpinas intemerata viget.

Aſſumptio Virginis.

MOrs decepta dolo incaſſum te deſtinat Vrnæ,
In cinerum verti neſcia, Virgo, lues.
Indocilis poſt fata mori: poſt funera Cælo
Intactum referes imperioſa caput.
De tumulo ad thalamum ſpecie formoſior ibis:
Qualis de patrio ſente reciſa Roſa.

Coronatio Virginis.

CÆlituum deſcripta Choris Regina beatis,
Quanta tuos ornat gloria luce ſinus!
Cui duodena Polo connectunt Aſtra Coronam,
Quæ decus excellit, Gnoſia ſtella, tuum.
Cui ſimul in terris Hominum de more frequentat
Cœtus Amoriferis nectere ſerta Roſis.

B. Virginis Præſentatio in Templo.

SIſtitur ad Templum cum paruula Virgo Tonanti,
Pulcra Puella animo, Pulcra Puella genis.
Ad Templum pariter totus deſcendit Olympus,
Viſurus donum, quod ſibi Terra tulit.
Miratur, tùm quid referam par, dixit, Eidem:
Tu mihi da Diuam: Do tibi Terra, Deum.

PLAV-

PLAVSVS FESTIVVS

In Solemnitate B. Virginis Annunciatæ.

Angelus Domini nunciauit Mariæ.

COnnubium Gabriel ſpondet: ſed Virgo ſubhęret,
 Et pariat Virgo qua ratione rogat.
Tunc ait ille: Dei ſupera compléberis aura,
 Plenaque Diuino Numine Mater eris.

Nè timeas Maria.

HÆret ab aſpectu Cælo venientis Alumni
 Virgo, cuí minio purpurat ora timor,
Cur ita? Cælituum quamuis non neſcia cætus;
 Mox timet ad formam, quæ iuuenilis erat.
Conſcia Virgo ſui nunquam læſura pudoris:
 Hic timor, vt cuſtos Virginitatis erat.

Nè timeas Maria.

VIrgineus quid pulcra timor tibi purpurat ora,
Cum vox è Cælo nuncia dicit Aue?
An quia te fieri Matrem vox illa ſalutat?
Tuque pudoris habes conſcia vota tui?
Pone metum: dictis cæleſtibus annue: gemmas
Concha ſuas hauſto cælitus imbre parit.

Deus veniet, & ſaluabit nos.

INcubuit terris quondam grauis vrna malorum
Horrenda humanum clade grauata genus.
Mens tamen vna fuit miſeris ſperare ſalutem;
Si foret humano ductus amore Deus.
Ductus amore Deus: pariles ſibi condidit artus,
Factus Homo humanum recreat omne Genus.

Verbum caro factum eſt.

GEns humana Deo ſimilem ſortita figuram;
Lapſa tamen formam non habet illa Dei.
Tunc Deus (hæc ſecū inquit) Homo ruit, vndiq: vaſtat
Numinis effigiem, quam tulit ante, mei.
Ipſe hominis capiam humana ſub imagine formam;
Sic homini redeat priſtina imago Dei.

Ma-

Mater Dei.

CAuſa mali tanti fuerat malè prouida quondam
  Decepta anguineo fœmina prima dolo.
Cauſa Boni tanti facta eſt benè prouida Virgo
  Angelicis dictis, cum dedit illa fidem.
Eua Mali, ſed Virgo Boni dicuntur origo;
  Quod parit illa Reum, quod parit iſta Deum.

Meruiſti portare Creatorem Mundi.

INfantem caſta conceptum prouehit aluo
  Plena ſalutifero Numine Virgo Deum.
Quique regit triplicis ſublimia pondera molis,
  Vnius regitur Virginis in gremio.
Cum Deus occluſa portatur Virginis aluo,
  Quid ſe ferre humeris ſydera iactet Athlas?

Gratia plena.

CÆli delicias omnes, omneſque lepores
  In gremio condis Diua Puella tuo.
Namque Dei Vnigenam niuea dum claudis in aluo,
  Te decorat cunctis Gratia muneribus.

Gratia plena.

TE quibus innumeris decorauit Gratia donis,
Fonte cui pleno Gratia tota fluit:
Munera tanta nequit facundia prodere linguæ:
Attamen hoc vnum ſit potuiſſe loqui,
Fonte tibi pleno manauit Gratia, teque
Gratior in terris nulla Puella fuit.

Elegit eam Deus.

TAm niue candidior, nitido quàm purior auro
Inter Virgineos optima Virgo Choros.
E roſeo purum vultu iacularis amorem,
Cedat vt Omnipotens victus Amore Deus.
Victus Amore Deus, ſic te dilexit Amore;
Illius vt fieres Filia, Sponſa, Parens.

Ecce Virgo concipiet.

VNigenam peperit geniali è ſanguine Prolem
Inter Virgineos optima Virgo Choros:
Concipit haud vllam maculam, cum Matris honorem
Suſcipit, inſolito munere Virgo Parens.
Si te cauſa latet cunctarum conſcia rerum
Natura Omniparens, eſt Amor Omnipotens.

Miſit

Miſit verbum ſuum, & ſanauit nos.

INficiunt veteris mundum contagia noxæ,
  Infeſtantque Homines impia facta reos.
Omnipotens Genitor, mundi melioris origo,
  Mutata inuerſum ſorte reformat opus.
Omnia qui Verbo è nihilo præeunte creauit;
  Nunc Verbo recreat omnia; nè pereant.

Eris Mater ſemper intacta.

NE timeas, Virgo, Cæleſtis Nuncius inquit,
  Profluet ex aſtris in tua membra Deus:
Concipies vtero Diuino flamine Verbum;
  Mater eris Virgo, Virgoque Mater eris,
Mater digna Deo, tibi filius ille viciſſim:
  Ille Puer factus, tu propè facta Dea.

Initium Sapientiæ Timor Domini.

NVncius Empyreo demiſſus ab orbe ſalutem
  Dum tonat: impleuit Virgo timore ſinus.
Cur ita Virgo timet? quoniam Sapientia (Vates
  Vt cecinit) Domini dicitur eſſe timor:
Æterni Genitoris erat Sapientia Chriſtus:
  Quem capit vt caſto viſcere Virgo, timet.

Tem-

Templum Domini.

CÆlica Turba ſile ſpatioſa palatia Cæli:
Et ſua non iactet Stellifer aſtra Polus.
Vna poteſt Virgo cæleſtes vincere ſedes;
Vincere & vna poteſt aſtra Puella ſinu.
Claudere quem nequeunt ſpatioſo margine Cæli,
Facta Dei Templum ſanctius vna capit.

Ecce Ancilla Domini.

IAm iam ſumma Parens Ancillæ deſine nomen,
Et Maieſtatem iure fatère tuam.
Clara Sacerdotum, Regumque decora Propago;
Progenies Atauis nobilitata tuis.
Facta Dei Genitrix toto regnabis in orbe.
Non erit Ancillæ, ſed Dominæ Imperium

Ecce Ancilla Domini.

QVi facit aereis excelſa palatia muris,
Ima fulciri tecta laborat humo:
Sic electa Deo Templum venerabile Virgo
Templum auguſtum, ingens Humilitate locat.
Ancillam Domini placida ſe voce fatetur;
Vt Domini Mater digna ſit illa ſui.

Fiat

Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

OMnipotens Genitor, rerum ſuprema Poteſtas,
  Fiat, ait, totum cum creat orbis opus:
Aſt vbi collapſum vitiorum pondere nutat;
  Non alia refici prouidus arte parat.
Omnipotens Verbum cum Virgo concipit, inquit,
  Fiat: & hoc verbo recreat orbis opus,

Paruulus datus eſt nobis.

OMnipotens Cæli Rex, formidabilis igne
  Fulmineo, nubes ſcindere ſuetus erat:
Ingentique tonans formidine territat orbem:
  Sæpè hominum horrendo numine corda quatit.
Aſt vbi Virginea Puer eſt concluſus in aluo;
  Infantis pauidus Numinis ecquis erit?

Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.

COncipere Vnigenam Prolem, quam cælitùs aura
  Inſpirat gremio caſta Puella tuo;
Annue, vota libens non eſt violare pudoris;
  Non eſt Virgineos contemerare ſinus:
Cum placidus ſpirat Zephyrus cæleſtibus auris,
  Enitet in ſudo pulchrius Axe iubar.

Flos

Flos de radice eius aſcendet.

QVo mage gemmaſcunt pretioſo germina flore,
Hoc mage germinibus germina pulcra prçunt:
Sic vbi Virgineo veluti de germine ſurgit,
Flos Deus. O quanto Mater honore præit!
Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi;
Tantum fœmineos anteit illa choros.

Vocabitur Filius Dei.

QVam geris alma tuo Genitrix in viſcere Prolem,
Eſt pariter Summi Filius ille Dei.
Tu tamen hũc Puerũ completo tẽpore gignes,
Æternum genuit quem Deus ipſe Deum.
Cum nunc vna Dei atque Hominis Natura cohæret,
Diceris huic Genitrix, cui Deus eſt Genitor.

Suſcipe Verbum Virgo Maria.

SVſcipe Virgo ſinu, quod Verbum Nuncius offert;
Hoc Patris eſt Verbum Cælipotentis idem:
Cælipotentis idem, rorat quod celitùs Aura;
Vt fiat Gremio Gemma decora tuo:
Sic à Tartareo redimes Genus omne Tyranno,
Hoc pretium Gemmæ cum pia Virgo dabis.

Sapien-

Sapientia ædificauit ſibi Domum.

PRoh quod opus finxit miro Sapientia cultu!
Proh qua diuinam condidit arte Domum!
Non aurum, non Gemma decus, non Purpura fecit,
Quod dedit innumeris Gratia muneribus.
Inſpice quidquid opus pulcrum Natura creauit,
Hoc erit in toto pulchrius orbe nihil.

Quem Cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti.

REx Cęli properans hominum venturus in oras,
Pro ſolio gremium Virginis eſſe parat.
Dotibus innumeris decorat, mage pulchriùs ornat,
Quam ſint aſtra ſuis fulgida ſyderibus.
Tunc Cęlum erubuit, pauidis & vocibus inquit.
Aſtra Deo ſimilem non poſuère Thronum.

Quem Cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti.

ESt ſinus exiguus, Cęlo tamen amplior extat:
Ille minor puncto, maior & ille Polo.
Ut ſtupeas, & vera putes oracula: Cęlum
Non capit immenſum Numen: at ille capit.

Ni-

Nigra ſum, ſed formoſa.

QVæ præis Arctoas miro candore pruinas,
Nigritie pulchris cur tegis ora genis?
An quia Cælicolis viduaſſes ciuibus Aſtra,
Candorem tegeret ni tibi Diuus Amor?

Fœmina circumdabit Virum.

IMmenſa ſe luce Deus demerſerat: Ipſum
Vt ſic humanum noſceret omne Genus:
At nimia Deus irradians in luce, viciſſim
Tunc mage delituit, cum magis enituit.
Quid faciet? poſt indè hominum ſibi veſtiet artus,
Vt magis eniteat, cum mage deliteat.

In me omnis Gratia.

VIrginis auguſto ſi floret Gratia vultu;
Non mirum eſt: illi Gratia Mater erat.

ECHO

ECHO

Deus homo factûs eſt.

DIc age, te vocem contenta voce laceſſo:
  Vox, quæ vicinæ Nazareth antra colis.
Factus homo Deus eſt; vt tandem fœdere gentes
  Humanas ſuperis conſociet? ſociet.
Ergo reperta fuit mulier tam pura, Tonanti
  Vt fieret Mater, tam ſibi grata? rata.
Dotibus innumeris fuit hæc Ieſſęi Puella?
  Illa. ſuo rapuit caſta pudore Deum?
Ore Deum: & potuit lapſum de vertice Olympi.
  Numen Virgineo claudier in gremio?
In gremio. O Tellus felici ſorte triumpha,
  Haud vltro exerces feſſa nouale. Vale.

Benedicta inter mulieres.

NOn ita præcellit rutilantia ſydera Titan:
  Non ita ſigna inter Luna minora nitet:
Non ita cuncta aurum ſuperat ſplendore metalla:
  Non ita præcurrit germina flore Roſa:
Longiùs vt reliquas inſigne decore Puellas,
  Ceù Sol, Luna, Aurum, ceù Roſa, Virgo præit.

Quaſi

Quaſi Aurora progreditur.

INſtar vt Auroræ gremio gerit inclyta Solem
Virgo ſuum, Solis lumina Virgo præit.
Sol vbi ſe tanto deuinci lumine vidit,
Virginis auratos circuit ante ſinus.
Nè ſic deficerent luceſcere ſydera Cælo,
Certant Aſtra caput cingere; Luna pedes.

Omnis Gloria eius ab intus.

MIraris tùm frontis ebur, tùm verticis aurum;
Stellanteſque oculos, puniceaſque genâs?
Miraris niueis albentia colla pruinis,
Et ſpeciem qualem non habet vlla Charis?
Deſine, quas cernis, mirari in Virgine dotes.
Inferiora vides, nobiliora latent.

Regina Cœli.

QVo te Virgo Dei ſuprema potentia tollit?
Sydera ſublimi vertice, Diua, premis.
Facta Dei Genitrix tanto dignaris honore;
Vt par Maieſtas nulla ſit equa tuæ.
Diuiſum Imperium ſi cum Ioue Cæſar habebat;
Cum Ioue coniunctum tu geris Imperium.

Regi-

Regina Cęli.

O Quam te memorem, Virgo, non eſt tibi nomen
Mortale; haud hominem vox tua, Diua, ſonat.
Nec tu ſis veterum Nympharum ſanguinis vna:
Altiùs extollit regia Progenies.
Namque ſuam Cæli Dominam te ſydera norunt,
Et ſunt obſequijs omnia prona tuis.

Tota pulcra es.

QVæ ſpecies? quę forma nitet? diuina coruſcat
Maieſtas vultu, Diua Puella, tuo:
Fronte refert lux alma iubar: ſunt labra corallis
Æmula; purpureæ, candidulæque genæ.
Cælituum videre chori, mirantur, & omnes
Dulciſonis recinunt talia verba notis:
Pulchrior in terris, nec floſculus emicat vllus:
Stella nec in Cælo pulchrior vlla nitet.

Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.

CEntenis Briarea manus, quid Terra lacertis
Armas; vt moueas auſa duella Ioui?
Auſa duella Ioui, quondam non viribus æquis
Mouiſti, innumeris perdita funeribus.

Nunc iterum Cælo ſi vis noua bella mouere,
Inuictaque tibi ſubdere Regna manu:
Brachia nè quæras centena, ſed vnus ocellus
Virginis adducet ſub tua iura Deum.

Vvlneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.

FVlmina vibrabat Diuum Pater, atq; hominũ Rex;
Cum vibrat ex oculis lumina Virgo ſuis.
Annuit ille oculis, & ponens fulmina, dixit;
Noſtra tuis pereunt fulmina luminibus.

Vvlneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno Crine Colli tui. Cant.

INclyta Bellatrix, Ieſſeæ gloria Gentis,
Æthereis Regnis Virgo duella mouet.
Vincitur Omnipotens, trahiturque in vincula victus
Virgineiſque oculis, Virgineiſque comis.
Par laus eſt oculis, par gloria parta comiſque:
Vvlnera dant oculi, vincla dedère comæ.

Deus

Devs Homo factus eſt.

Diuus Amor quondam quærit venator habere
Optatam prædam, & corda hominum capere.
Incaſſum è Cælo ſed tela vibrabat Amoris;
Longiùs indè timens præda petita fugit.
Quid faciam? poſthac Hominis ſub veſte latebo:
A me non fugiet ſic homo, dixit Amor.

Nigra ſum, ſed formoſa.

INſpicis in niuea mihi fronte nigreſcere formam:
Attamen affulſit non magis vlla Charis
Sic inter violas argentea lilia ludunt:
Sic ebano immixtum præ niue ludit ebur.
Me Diuinus Amor tinxit nigredine vultum:
Eſt niger in niueo gratior ore color.

Nigra ſum, ſed formoſa.

NIgra vocor formoſa tamen: quia cælitùs afflat
Diuus Amor caſtos, quos beat, igne ſinus.
Facta Dei Mater, velut eſt Aurora diei,
Dulce repercuſſum luce nigreſcit ebur.
Sic nigra, ſic formoſa vocor, ſic Virgo, Parenſque,
Candida ſic nubes non fuit vlla magis.

Macula non eſt in te.

VItales cum Virgo capis ſine nubibus auras,
Pluſquam Phœbeo ſydere Stella micas.
Tu niue candidior, tu lucis purior igne,
Tu vincis cunctas vna Charis Charites.
Diuinus te fecit Amor clareſcere: Mater
Vt ſis digna Deo, non ſinit eſſe ream.

Tota pulcra es.

QVæ Charis affulget tanto irradiata decore?
Pulchrior in terris Gratia nulla fuit.
Sydera ſub geminos ingemmāt lucibus orbes,
Et niueum flauo Sole coruſcat ebur:
Aurea tota venus cui cedit, & aurea Virtus:
Deliciæque intus, Deliciæque foris
Sic omnes præſtat Charites, omneſque decores:
Sic lepor eſt omnis; ſic ſimul omnis Amor.

PLAVSVS FESTIVVS
In Solemnitate
BEATÆ VIRGINIS NATÆ

EPIGRAMMATA

Quaſi Aurora conſurgens.

AVrora in roſeis fulgebat lutea bigis,
Reddebatque Polo mane reuecta diem:
Fronte videt nitida naſcentem fortè Puellã
Euibrare ſuas ſydus aduſque faces;
Erubuit, puduitque vltrò ſe educere Cœlò;
Cum gerat Auroræ Nata Puella vices.

Quaſi Aurora conſurgens.

AVrora, & Virgo ſimili ſplendore coruſcant.
Illa fugat tenebras noctis, & iſta fugat:
Illa vehit Solem; Solem vehit iſta; ſed impar,
Illa datura diem; iſta datura Deum.

Quaſi Aurora conſurgens.

AVrora, & Virgo naſcentes protinùs ambæ,
Quamuis eniteant; ſunt tamen impariles.
Illa per Eoas lucem diſſeminat oras:
Iſta per Eoas; iſta per Heſperias.

Quaſi Aurora conſurgens.

AVrora, & Virgo, ſimiliſque videtur, & impar,
Luce quidem parili; ſorte ſed imparili.
Naſcentes ambæ rutilant, Solemque reducunt;
Illa ſed Oceano, Iſta, ſed Empyreo.

Quaſi Aurora conſurgens.

AVrora, & Virgo primo ſimilantur in ortu;
Cum fulget radijs vtraque nata ſuis.
Diſſimilis, ſimiliſque tamen: cum protinùs Aſtra
Illa Oriente, cadunt; Iſta Oriente, micant.

Quaſi Aurora progreditur.

AVrora, & Virgo naſcentes aurea terris
Lumina diffundunt, dantque, feruntque diem:
Ambæ namque ſuum pariunt Solem: iſta perennat,
Dum parit: at pariter, dum parit, illa perit.

Quaſi Aurora progreditur.

AVrora, & Virgo lucemque, diemque reportant;
Non tamen effulgent conditione pari.
Illa vices noctis patitur, tenebraſque viciſſim;
Iſta iubar ſemper, neſcia noctis, habet.

Quaſi Aurora progreditur.

AVrora, & Virgo parili ſplendore coruſcant,
Atque ſuos Soles vtraque Mater habet.
Non tamen vtrius fulget par Gratia ſortis:
Cum vehit illa diem; cum vehit iſta Deum.

Quaſi Aurora conſurgens, pulcra vt Luna, &c.

AVroræ, & Solis, Lunæque, & Syderis vna
Nomen habet Virgo; nomen & vna gerit.
Aurorę, & Solis, Lunæque, & Syderis vnum
Non poterat nomen Virginis eſſe ſatis:
Omnia namque refert Aſtrorum Lumina Virgo,
Qua naſcente, dies neſcia noctis adeſt.

Quaſi Aurora conſurgens, amicta Sole, &c.

CEù Aurora dabat, cum Virgo per æthera lucem;
Virginis antè iacet cernua Luna pedes.
Vidit, & inuidit Phœbus, curruſque iugales
Ocyùs impellens, approperauit iter.
Æmula concurrunt Aſtra; & ſic Virgine ab vna
Omnia contendunt Sydera habere iubar.

Quaſi Aurora conſurgens, amicta Sole, &c.

FOrtè per æthereum ſpatiatur Luna theatrum,
Noctiuagos curſu quæ moderatur equos:
Inſtar vbi Auroræ, vidit properare ſub auras
Naſcentis lucem Syderis inſolitam:
Vidit, & obſtupuit, ſocioſque exſcuſcitat ignes,
Cernere quàm pulchra Stella ſit orta face:
Aſt vbi diuinam natam videre Puellam;
Vt Dominam Cœli ſic coluere ſuam.
Accurrunt, properantque omnes, velut agmine facto,
Luna pedes ambit; Sol latus; Aſtra caput.

Quaſi Stella matutina.

SIue dies, ſeu nox eſt; lux tua Virgo refulget:
Nec patitur tenebras luminis Aura tui,
Cedite ſydereis poſthac de ſedibus aſtra:
Stella hæc pro cunctis nocte, dieque micat.

Quaſi Aurora conſurgens, Luna ſub pedibus, &c.

SOlis in abſceſſu Phœbe indignata, frequenter
Lumine ſe maculas deficiente pati;
Exoriens, velut Auroræ, clareſcere Sydus
Virginis vt vidit: talia dicta dedit:
Sol Germane vale: meliori à Sydere poſthac
Tale iubar capiam, nulla quod vmbra tegat.
Dixit, & incuruans argentea cornua lucis,
Subijcit ad Solium Virginis ante pedes.

Quaſi Stella Matutina.

SI tibi luce ſinus niueos Sol aureus ambit;
Si tibi circumdat lumine Luna pedes:
Si tibi Sydereis ſertis caput Aſtra coronant:
Quis te cæleſtem non putet eſſe Deam?
At fallor, ceù Sol, & candida Luna refulges,
Et pro ſyderibus lucida Stella micas.

MA-

MARIA exorta refulget.

ANtè iubas qui viſus erat geſtare Leonis,
Quid Sol Virgineas, quid gerit ille comas?
Nè mirere: orta eſt Virgo, ceù Stella benigna,
Illa per & Terras, illa per aſtra micat.
Hinc, Sol, vt rutilet meliori lumine, dixit:
I Leo, perge procul: ſit mihi Virgo comes.

MARIA exorta refulget.

POſtquam Virgo ſuo, ceù Stella, nitore coruſcat,
Edita Nazareis iam prope littoribus:
Pleiadas, atque Hyadas iam deſine Nauta tueri,
Nec tua iam Pollux, nec via Caſtor eat.
Præuia ſecuros tibi portus illa ſecundat:
Clara micat ſemper, nube nec obtegitur.

MARIA exorta refulget.

COnueniunt ſimul Aſtra Poli, cùm Virgo nitorē
Edita cæleſtes ſpargit ad vſque plagas.
Hinc Stellæ auratę, Luna hinc argentea, flauus
Hinc Sol, multiplici promicuere face.
Aſt vbi virgineam norunt excellere lucem,
Obduci luces iam voluere ſuas.
Sic etenim reputant, toto quæ illuceat orbe,
Vt ſit pro cunctis lux tua Virgo ſatis.

MA-

MARIA exorta refulget.

SI Virgo, ceù Stella nites, radioſque ſerenos
Exeris ad Cælum; cur tibi Terra locus?
Cur tibi Terra locus? per te ſi Terra coruſcat
Vt Cælum? & Cælo mutuat illa iubar?
Terra abit in Cęlum: è Cœlo, te Virgine nata,
Angelici properant in tua tecta Chori.

Quaſi Stella Maris.

CVr ò cur Boreas audax, iratus & Auſter
Ad portum curſus vis mihi præripere?
Virgo Stella maris luces, auraſque ſecundas
Adſpirat noſtræ, ceù Cynoſura, rati.
Namque vbi de roſeo diffundit lumina vultu,
Afflat & ex oculis flamina blanda ſuis,
Tranquillat tetras turbati marmoris vndas;
Ira ſit vt placido nulla timenda mari.

Quaſi Stella Matutina.

LVminibus radiata tuis ita terra triumphat;
O Virgo, Superis Æmula Stella plagis.
Inquit &; ò Cælum peperit ſua Sydera Tellus:
Æthereas noctis iam mihi conde faces.
Ærumnas nam Virgo meas Cynoſura ſerenat:
Hanc ſequor, hæc Dux eſt, hæc mihi certa via.

Quaſi Stella Matutina.

TOtus in annoſis reſidet ſqualloribus Orbis,
Triſtibus & lachrimis plurima damna gemit.
Aſt vbi Diuinæ prẹfulſit Virginis Aſtrum,
Squallorem pellit, damnaque cuncta fugat.
Virginis, ò felix, inquit, ſplendoribus Aſtrum!
Sis mihi in aduerſis Stella Serena malis.

Maria exorta refulget.

VIx orta in Terris, ſi tanto lumine fulges,
Si luſtras totum, ceù noua Stella, Polum;
Si niueas ſpiras roſeo de pectore luces,
Et procul à tenebris vndique clara micas;
Cur tibi Terra Domus? cur non tibi Patria Cælum?
At fallor: Cælum eſt Patria digna tibi.

Maria ẹxorta refulget.

CVm, veluti Sydus, ſimul orta Maria refulget,
Hos dedit ex imo pectore Terra ſonos.
Cælum conde faces: nihil eſt opus Indice Sole;
Nil opus eſt Luna: Stella nec vlla opus eſt.
Lux eſt in tenebris, lux eſt in luce diurna,
Illa nec occaſum, neſcia noctis, habet.
Illa meum Sydus, ceù Sol, ceù Luna coruſcat:
Lucifer illa meus; Veſper & illa meus.

Maria

Maria exorta refulget.

EXoritur Virgo radijs perfuſa benignis:
 Stat mare, ſtant venti, ſtatque ſerena dies.
Omnia riſerunt Aer, Mare, Sydera, Tellus:
 Vidit, & hoc totus Mundus, & obſtupuit.
Hæc lux illa fuit, tenebras quæ diſſipat atras,
 Quæque homini ad Superos nuncia monſtrat iter.
Scilicet antè fuit lux proſpera nulla: iacebas
 Terra tuo antiquo iam propè merſa Chao.
Hac naſcente, nouam repararunt tempora ſortem:
 Illa eſt ærumnis Stella ſerena tuis.

VIRGO MARIA NATA

ANAGRAMMA

GRATIA, VITA, AMOR.

QVis neget aurata renouari tempora luce?
 Cum NATA eſt VIRGO, GRATIA, VITA, & AMOR?

Maria exorta refulget.

SIue dies, ſeù nox eſt, lux tua Virgo coruſcat,
 Atque eadem ſemper nocte; dieque micat.

Si

Si in tenebris fulges: Cęlo tunc ſydera pallent,
Perque tuum nox eſt lucida facta iubar.
Si fulges medioque die, Sol aureus hæret;
Per te lucidior doctus inire dies.
Sic ſine te nullum tempus, nec præterit hora;
Nocte, dieque mihi lucida ſemper ades.

Stella Matutina.

QValę iubar, Virgo, ſpiras de fronte ſerena;
Stella micat cęlſo non magis ylla Polo.
Non mihi te eripiunt exortam nubila lucem;
Stella iubar nitidum lucida ſemper habes.
Inque tuis radijs figo mea lumina ſemper:
In te ſemper eat tempus, & hora mihi.

Stella Matutina.

ÆThereas Virgo exierat ſub luminis auras,
Et radijs orbem cinxerat orta nouis.
Cum linquit croceum Thitoni Aurora cubile;
Vt lucem roſeis lutea ferret equis.
Aſt vbi luminibus vidit tot fulgere terram;
Ecquid, ait, tantum lumen in orbe micat?
Huius in aſpectum repetant mea lumina noctem:
Dixerat, atque ſuos æquore merſit equos.
Memnonis I Mater; procul I; tua lumina conde;
Nunciat æternos hęc mihi Stella dies.

Cir-

Circumdabant eam flores Roſarum.

OMnia cur gaudent Ieſſeæ Virginis ortu?
Illa quòd optati nuncia Veris erat.
At cur exoritur roſeis circumdata gemmis?
Aurora æterni præuia Solis erat.

Regina Cœli.

MVſa aderat vates cum nititur Anna Puellam,
Cui propè Diuinum ſplendet in ore decus.
Vidit vt hanc igitur, ſic eſt affata Puellam,
In paruo magnum pectore Numen habes,
Iura dabis Cœlo Genitrix, & Sponſa Tonantis;
Vna eris & Populo ſpeſque, ſaluſque tuo.
Sydera iam video dilabi nuncia Cęlo;
Quæ ſimul ante tuos procubuere pedes.
Reginam Cæli recolunt, Dominamque fatentur:
Aſtra tuo applaudunt Virginis Imperio.

Diſtichon.

LVna, & Virgo micant: condit Sol Lumine Lunā,
At Solem condit Virgo Beata ſinu.

Stella

Stella Maris.

VIx prodit Virgo vitales lucis in auras;
Cum totus lætis plauſibus Orbis ouat.
Lætatur Pontus, Tellus lætatur, & Aſtra;
Axe fugat ſudus nubila luce Polus.
Scilicet exoritur Virgo, ceù Stella ſerena,
Quę mare tranquillat, quæ Aſtra, ſolumque beat.

Domina Mundi.

QVæ Dea cęca rotas quondam voluebat; & inter
Egerat impariles mutua luſtra vices,
Sentit vt æthereas vitæ prodire ſub auras
Arbitra, quæ rerum, Diuaque Virgo, foret.
Hæret adhuc, poſt inde rotas perfringit; & inquit:
Corrigat errores hæc noua Diua meos.

Gaudium annunciat Mundo.

LÆtitijs hilarata ſuis ita Terra triumphat,
Ac propè ſydereis Aemula facta plagis.
Sic ait: ò Cælum, peperit ſua Numina Tellus,
Cerne meo Diuam, cerne micare ſinu.
O Fortunatis certatim ſortibus ambo:
Deliciose tuis, Delicioſa meis.

Stella Matutina.

QVid par cum Stellis Virgo? ſi clarior aſtris
Emicat, & Stellis mutuat illa decus?
Quid Stellam, & Dominam Cęli te Virgo ſalutant?
Stella quod imperium cuncta per aſtra geras.
Matutina velut cur Virgo Stella vocaris?
Quod foueas radijs Stella benigna tuis.
Quid Stellam te virgo vocant, cum ſydera noctem
Efficiant claram; lux tua, Virgo, Diem?

Stella Matutina.

QVid par cum ſtellis Virgo? ſi Stella coruſcat
Nocte ſub obſcura: Virgo die in media?
Virgo, vt Stella micat, ſed Stellam nubila cōdūt
Nulla tegit purum Virginis vmbra iubar.
Sydera naſcuntur; ſed nata ad lumina Solis
Victa latent; Virgo lumina Solis amat.
Quid tibi cum Stellis Virgo? ſi ſydera nocte
Lucent: tu lucem neſcia noctis habes?

Stella matutina.

QVid canitis Stellis, ſimilemq; paremque Mariam?
Illa nouum Stellis mutuat alma decus.
Non eget Aſtrorum radijs, vt Virgo niteſcat,
Virginis ad radios pulchrius Aſtra nitent.
Virgo tua nos luce foue, nos rore refunde:
Et tandem ſuperis inſere ſyderibus.

Fulcite me floribus.

AVricomas properate roſas, annectite flores;
Et date virginea lilia cana manu.
Fulciri ſe Diua roſis, ſe floribus optat,
Liliacus debet Virginis eſſe Torus.
At forma cum Virgo roſas, cum lilia præſtet,
Lilia palleſcunt, erubuère Roſæ.

Fulcite me floribus.

INclyta vitales, dum Virgo prodit in auras:
Cur petit ornari floribus è roſeis?
Aurora eſt, Solis Genitrix, prænuncia lucis:
Floribus è roſeis non niſi ſerta cupit.

Quaſi Roſa.

CEù Roſa Virgo inter floret vix orta Puellas.
Vt ſpinas inter floret, & ipſa Roſa.

Quaſi Roſa, &c.

EXoriens Virgo veluti Roſa pulcra coruſcat:
Vtraque felicis ſymbola veris habet.
Non tamen vna Roſæ ratio eſt, & Virginis vna:
Iſta perennis erit; ſed breuis illa perit.

Quaſi

Quaſi Roſa, &c.

PAr, imparque Roſæ Virgo conſurgit in auras;
Vtraque naſcentis lumina Solis amat.
Mirificumque comis expandit pulcra decorem:
Iſta habet ad Solem viuere; at illa mori.

Quaſi Roſa, &c.

VT Roſa, ſic Virgo, ſpinoſo è ceſpite ſurgit,
Et prope Diuinum promit ab ore decus.
Blanda manus, oculoſque rapit, Hominumq; Deumq;
At Roſa cum ſpina eſt, qua ſine Virgo micat.

Quaſi Roſa, &c.

CEù Roſa purpureos expandit ab ore nitores,
Cum vitæ Virgo lumina prima videt.
O quantum ſubitò, longè, lateque coruſcat!
Diffundit roſeum ſydera ad vſque iubar.
Hæc Roſa compoſitæ fuerit prænuncia Pacis,
Deliciumque Homini, Deliciumque Deo.

Quaſi Roſa, & Stella.

CEù Roſa pulcra ſui Virgo ſpiramen Amoris
Afflat, odorifero nectare plena ſinus.
Sydereum ſimulare iubar, ſimulare nitorem,
Tam ſimùl illa poteſt, quàm vaga ſtella ſolet.
Hac capitur ſpecie cętus cæleſtis, & inquit.
Pro nè Roſis ſtellas an ſibi Terra parit?

Quaſi Roſa, & Stella.

APproperate gradus Cæli ſtellantis Alumni,
Virginis exortæ currite in obſequium.
Ferte citi cytharas, date plauſum, tangite plectra,
Gutture mellito fundite dulce melos,
Cernite quos radios ſpiret de fronte ſerena:
Cernite quas niueo germinet ore Roſas.

Quaſi Roſa, & Stella.

NOn ſic nata ſuo geniali è ceſpite fulget,
Pandit vbi nitidas cum Roſa pulcra comas.
Non ſic orta ſuo cæleſti è ſydere lucet,
Pandit vbi auratum cum vaga ſtella decus.
Præſtat Virgo Roſis, ſtelliſque; & gratior illa
Nec magis vlla Roſa eſt; ſtella nec vlla magis

Coro-

Coronemus nos Roſis.

ANxia quid Iuuenes vexat vos cura Roſarum,
Vincta quibus valeant tempora quaſſa mero?
Eſt Roſa, quæ nullo marceſcit temporis æuo,
Hac redimite comas, hac decorate caput:
At fallor procul hinc, procul ite profani.
Non niſi virgineis eſt Roſa digna comis.

Coronemus nos Roſis.

SYdereas imitata faces, Reginaque florum
Exere purpureum delicioſa caput.
Parce hominum vanos poſthàc redimire capillos
Floribus, ò Cæli filia, blanda tuis.
Nullis ſerta comis fas eſt præbere profanis:
Tu Roſa virginei ſymbola honoris habes.
Necte ſuam Diuæ naſcenti, necte coronam;
Virginis, haud Veneris, te decet eſſe Roſam.

Coronemus nos Roſis, antequam marceſcant.

O Iuuenis, ne quære Roſas, ne quære caducas,
Vt pulcro ſtudeas cingere flore comas.
Quære Roſas alibi puras, & quære perennes,
Quæ retinent viuum tempus in omne decus.
Ceù Roſa regali Virgo de ceſpite ſurgit,
Hæc ſemper Dio viuida rore madet.
Sed tamē, ò Iuuenis procul hinc, procul eſto profane:
Hæc Roſa cæleſti eſt non niſi digna manu.

Circumdabant eam flores Roſarum.

PVniceis Regina comis, Auroraque veris,
Sertum naſcentis Virginis adde, Roſa.
Non magis ornabis dignam diademate frontem,
Non magis, vt niuei ſigna decoris eris:
Virgo prima Parens Roſei Regina Pudoris,
Floribus ornari non amat vlla magis.

Quaſi Roſa.

QVid Roſa te petimus Diuæ connectere ſertum?
Pulchrior eſſe poteſt Diua Corona Roſis.

Quaſi Roſa in Iericho.

SI Roſa proloquium, cur ergo ſilentia ſignat,
Tàm tacuiſſe vetat, quàm ſiluiſſe monet.
Eloquar, an ſileam? voluiſſem pangere laudes
Virginis exortæ, quæ ſine ſente Roſa eſt.
At mea Muſa ſtupet nimium admirata decorem,
Hæret, ſeque ſilens vertit in Harpocratem.

Gaudium nunciauit vniuerſo Mundo.

VIx tenues oritur Virgo ſub luminis auras,
Protinùs ex pleno gaudia fonte fluunt.
Aſtra ſerenatos meliori lumine Soles;
Et Roſeas tellus blanda refundit opes.
Exoritur Virgo læti prænuncia veris:
Deliciumque Soli, Deliciumque Poli.

Maria exorta reſulget.

MIteſcit poſitis rabioſa Canicula flammis,
Sæuaque flammiuomus comprimit ora Leo
Non eſt mirandum? Virgo prodiuit in auras,
Affulgens radijs Stella benigna ſuis.
Sicque repente venit puro Clementia Cælo:
Diffugiunt nebulæ, diffugiunt tenebræ.

Supplicatio ad Beatam Virginem.

FLores Virgo damus, fructus petimuſque viciſſim,
 Vtraque penſantur munera muneribus.
Noſter erit tibi veris honos, & Gratia Floræ;
 Sit tua cæleſtis Gloria noſter honos.
Mitte tuas meſſes è ſummo vertice Cæli,
 Quas damus è terris accipe Virgo Roſas:
Haſque Roſas, quas ſæpè ſolent Romana Roſeta
 Gignere, diuino nectare ſparge tuo.

Quaſi Roſa, & Lilium, Beata VIRGO propè Crucem.

PLena dolore Parens lacrymis langueſcit obortis;
 Lumina dum claudit Filius emoriens.
Sole cadente Roſæ languent, & rore grauata
 Deflectunt madidum Lilia pulcra caput.

PLAVSVS FESTIVVS

In Solèmnitate

B. VIRGINIS ASSVMPTÆ

Veni coronaberis, &c.

VIrginis extinctæ vita eſt vt reddita membris;
Hæc Deus è ſolio dicta dediſſe ferunt.
Hùc Regina veni meritis ſortita coronas,
Feſtina, proſpera, ſurge, & amica veni.
Surge; & amica veni, propera, dà, porrige dextram
De tumulo ad Thalamum, deque ſolo ad ſolium.

Amicta Sole, &c.

SOle nouo veſtita gerit Virgo alma triumphum
In Cælo Solem credula Luna putat.
Sic ait: augebo clara de luce nitorem,
Dum Solem video luce nitere noua.
Aſt vbi cognouit, quod lux tua, Virgo, coruſcat;
Cernua Virgineos corruit ante pedes.

Quaſi

Quaſi Aurora progreditur.

VEcta per Oceanum roſeis Aurora quadrigis,
  Aurato lætum proueh t ore diem.
Vecta per Empyrçum Virgo, (cui dextra Tonantis
  Auriga eſt) hilari lumine & aſtra replet:
Aſt Aurora fugax exorto Sole recedit;
  Firmat in æterno Sole Maria moras.

Amicta Sole, Luna, &c.

OBſequium Diuæ Sol, Luna, & ſydera certant
  Quale ferant; ſuperos cum petit illa thronos.
Lis ita compoſita eſt; diſtinctos Virginis artus
  Quælibet vt propriæ lucis honore colant.
Sol auro corpus redimit, caput Aſtra pyropis,
  Circuit argento candida Luna pedes.

Aſſumpta ad æthereum thalamum.

QVantum pulcra nitet Virgo Regina triumphis,
  Dum petis, Empyreum delicioſa Thronum!
Regia Maieſtas ſupremos ſpirat honores;
  Enthea Virgineos complet & Aura ſinus.
Incola miratus Cæli te pronus adorat:
  O decus, ò noſtri Dux, ait, alma Chori.

Sol

Sol abit in Virginem.

FLagrabat quondam Cælo vis atra Leonis;
Cum Virgo æthereas tendit in Aſtra vias:
Quam ſubitò ardentem placat leuis Aura Leonem!
Quam ſubito ignivomas temperat Aura faces!
Crediderim mites cepiſſe à Virgine mores:
Quà Leo miteſcit: Virginis Aura fuit.

Aſſumpta eſt Maria in Cœlum.

CÆleſtes dum Virgo plagas, ſtellataque tecta
Aſcendit, radijs vndique fuſa ſinus.
Omnes ſtellarum cætus timor vnus adiuit:
Eriperet Virgo ne cui iura loci.
Aſt vbi deferri viderunt altiùs: omnes
Applaudunt hilares Virginis obſequio.

Innixa ſuper Dilectum ſuum.

IMperij captura ſui cæleſtia Regna,
Plauſibus Angelici conſociata Chori.
Dextra innixa Dei vehitur ſuper æthera Virgo;
Quò poterat curru nobiliore vehi?

Aſſumpta ad æthereum thalamum.

VIrginis ad tumulũ quid nunc ſacraTurba moraris
In Cælo dignus Virginis eſt thalamus.

Aſſumpta eſt in Cælum.

VIrgo triumphatrix Mortis, properabat in Aſtra.
Auratis circum fulgida luminibus.
Obſtupuit tunc Luna, ſuum iubar occulit vmbris,
Nubilat, & totum plena pudore caput.

Aſſumpta ad æthereum thalamum.

MOrtua Virgo iacet,tumuloq; recõditur: at mors
Olli vita fuit, nunc tumulus thalamus.
Ediderat pariter Mundo Virgo inclyta vitam;
Quid mirum ad vitam mortua ſi redeat?

Ibat cum feſtinatione.

ARdua Virgo celer ſuperat faſtigia montis,
Et ſentit longæ tædia nulla viæ.
Scilicet illa ſinu cæleſtem claudit Amorem;
Et cæleſtis Amor neſcit habere moras.

Do-

Domus Lauretana.

SIſte Hoſpes non argenti, non pondus: & auri,
Non lapidum numerus lumina detineant.
Ipſa Domus rerum pretio pretioſior omni,
Omnes diuitias, deliciaſque fouet.
Virginis, ac Matris fuit hæc Domus alma, Deumque
Quamuis anguſto limine contiuuit.

B. Virginis Præſentatio.

AD Templum Virgo properat: ſacriſque dicatur:
Gratior offertur victima nulla Deo.

S. Maria ad Niues.

VRentes iam Roma potes ſedare calores,
Dippluit è Cælo dum pia Virgo niues.

PLAVSVS FESTIVVS IN DOMINICIS NATALITIIS.

Nox ſicut dies illuminabitur.

PEr minimas ſub Sole breui ſua tempora luces,
Extenta mæſtus nocte December agit:
Aſt vbi Sol oriens Aeternus nocte coruſcat,
Extenta lætus luce December ait.
Sole dies, nox Sole micat: mea tempora noctis
Neſcia, ſub duplici Sole perennis agam.

Nox ſicut dies illuminabitur.

DIc age, cur medio vernant noua luſtra Decẽbri?
Ac nitet in media nocte coruſca dies?
Diuus Amor nuper natus reſerauit ocellos:
Bruma abit ad flammas; Nox fugit ad radios.

Nox ſicut dies illuminabitur.

CHriſtus vbi media natus ſub nocte refulſit;
Clarior enituit Nox, velut alma dies:
Excitus ex vmbris miro fulgore December
Lætus, & exiliens, ſic ait attonitus:
O quę clara micat mihi Nox! iam deſine poſthac
Littore ab Eoo, Phębe, referre diem.

Nox ſicut dies, &c.

DEſine purpureos terris Sol pandere vultus,
Et matutinum deſine ferre iubar.
Diuus amor media natus ſub nocte coruſcat,
Multiplicatque ſuis lumina luminibus:
Hinc oculis abigit Noctem, pellitque tenebras;
Hinc oculis lucem prouehit, atque diem.

Nox ſicut dies, &c.

APpellent alij quouis te nomine, Chriſte,
Te Solem dicam Sole nitere magis:
Sol vmbras, noſtiſque fugat ſi nubila Cælo:
Tu facis in media Nocte micare diem.
Ad Solem fugiunt Stellæ: te Sole Oriente,
Ad radios properant ſydera cuncta tuos.

Hyems tranſit, & receſſit.

DEflebat querulus brumalia luſtra December,
Quodue ſuum premeret cana pruina caput.
In florem Brumam votis ſuſpirat abire:
Annuit hoc Cælum, floſculus exoritur.
Floſculus ille fuit, quo ſydera pulcra renident;
Et quo pulcra nouo flore renidet Humus.
Tranſit Hyems; pulchrum ver appetit: vndè Decēber
Lętus ait: nullis menſibus inuideo.

Hyems tranſit, &c.

MIraris vernos hyberno in temporę flores?
Et profugos toto ſiſtere ab orbe Notos?
Miraris flores inſcriptos nomina Regum
Naſci? perque hilares arua nitere comas?
Deſine mirari: Solis nouus emicat ortus;
Quo calet in medio frigore verna dies.

Hyems tranſit, &c.

INſpice gemmato vernantis ad inſtar Aprilis
Germina, veſtitus flore December habet.
Inſpice diffuſis nitidus ſplendoribus ęther
Fulgurat, in media nocte Oriente die!
Virgo Aurora nouum peperit Solem: vndè December
In media florens nocte, geluque flagrat.

Hyems

Hyems tranſit.

ASpice ſtramineis, quamuis iacet ortus auenis,
Vt pulcher Dio ferueat igne Puer.
Horrida ſæuit hyems: flammas Puer afflat ocellis:
Indè furit Boreas; hinc Puer ore flagrat.
Aeſtuat, ò quantum Diuini feruor Amoris!
Cuius ad ardores horrida Bruma fugit.

H yems tranſit.

MIraris vernos hyberno in tempore flores?
Et dare pacatos horrida Bruma dies?
Pro gemitu riſum: pro fletu gaudia Natus
In media Diuus nocte reportat Amor.
E geminis placidus diffundit lumina ocellis;
Hinc roſeas veris delicias peperit.

Hyems tranſit.

FEruet Amore Puer nuper de Virgine natus,
Atque hyeme in media feruet Amore Puer.
Feruet Amore Puer; quamuis in gramine duro
Adiaceat poſitus; feruet Amore Puer.
Feruet Amore Puer, miſcetque incendia Amoris;
Fiat vt in media temperies hyeme.

Fulcite me floribus.

O Nymphæ, ò Charites, manibus date lilia plenis,
Et ſimùl auricomas approperate Roſas.
Virginei flos ille Chori, quem miſit Olympus,
Floriferum à vobis poſcit habere torum.
Cui Puero ſi fortè Roſę, ſeù lilia certent:
Lilia palleſcant, erubeantque Roſæ.

Quam pulcher es Dilecte mi.

INſpice quàm pulcher Cælo demiſſus in auras
Sit licet in media nocte, geluque Puer!
Hic vbi candidulo vultu recludit Ocellos,
Aſtra oculis vincit, vincit & ore niues.

Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.

DElicijs opulenta ſuis ita terra triumphat,
Aemula ſydereis iam propè facta plagis.
Sic ait; O Cælum peperit ſua Numina Tellus:
Cerne Deum, noſtras cerne habitare caſas.
O fortunatis certatim ſortibus ambo,
Delicioſe tuis, Delicioſa meis.

Flos Campi.

QVæ noua Progenies Cælo demittitur alto,
In palea, è gremio Virginis orta, iacet;
Cui teneros artus pungit fera Cuſpis ariſtæ:
Hiſpida cui viles aſperat herba toros.
Sic iacet, inque genas maieſtas pullulat: vndè
Floſculus in ſpinis, ceù Roſa, pulcher erat.

Flos Campi.

NOn ſic effundunt Pæſtana Roſaria flores:
Non ſic melliferos germinat Hybla fauos;
Vt dulcem ſpirat diuinus Floſculus auram,
Cælitùs vndè fluit Nectar, & Ambroſia.
Huius in obſequium, quàm pulchri fronte ſerena
Conſurgunt flores, inclyta Roma, tui.

Et in Terra Pax.

CVr Pacem Superum noſtris Chorus intonat oris?
Et vult humanæ fœdus amicitiæ?
Ille ſuum nuper conſtringi in vincula Regem
Vidit, & humanis artibus implicitum,

Et in Terra Pax.

ANtea quæ fuerant reſerata per oſtia Iani
Vecta per in cunctas horrida bella plagas;
Quid mox ſæuitie poſita, toto orbe quieſcunt
Arma? nec hoſtiles prouocat ira minas?
Occluſis Iani foribus, Rex cælitùs exit,
Qui pacem terris portat, & arma fugat.

Iacet in Præſepio.

ACcinitur quondam tenues veniſſe ſub auras
Cæcus Amor, recubans floribus in roſeis.
Diuus Amor contra natus ſua lumina pandit,
In præſepe cubans, in rigidis paleis.
Cæcus Amor rigidam in paleam ſua germina mutat;
Sed paleam roſea in germina Diuus Amor.

Iacet in Præſepio.

DIc, age, cur Puerum nuper de Virgine natum
Excipiat rigido gramine Caula Deum?
Viuebant Homines Pecudum de more: quid illi
Si pecudum Caulam taliter exhibeant?

Iacet

Iacet in Præſepio.

HAec quæ tota riget, tegiturq; & vimine, & herbis
Naſcentis Domini conſcia Caula fuit?
Felix, quæ blandis ſonuit concentibus, & quæ
Innumeris fulſit fulgida luminibus.
O vos cæleſtes ciues, menteſque Beatæ:
Cernite, quod veſter Rex habet hoſpitium.

Seruile corpus induit.

CVm Deus aduerſum ſtygio de vortice flumen
Emergi, inque homines rumpere cernit aquas;
Tunc Prolem humanis æterno Numine partam,
Veſtiuit ſpolijs, oppoſuitque vadis.
Sic nimias auertit aquas, pellitque procellas;
Sic Dominus ſeruis factus ad aſtra via eſt.

Canunt Angeli, luget Infans.

PLauſibus Angelicis reſonabat totus Olympus;
Dulciſonumque dabat cælica turba melos:
Cum Puer exoriens pulſat vagitibus Auras,
Irrorat madidas lachrimuliſque genas.
Angelicus cantus, puerilis lachrima certant;
Placet vt iſta Deum; plaudat vt ille Deo.

Hyems erat.

F Lante Aquilone Polus Boreali frigore ſæuit;
Induit humanas cum Deus exuuias.
An glaciale gelu, niuibuſque exaſperat auras
Sæuior Arctois quæ furit Vrſa plagis?
Lucifer ambibat ſedes Aquilonis habere;
Vt reor, ille tumens ex Aquilone furit.

Non erat ei locus in diuerſorio.

I Ngentem, Omnipotens nutu qui condidit Orbem,
Cur Puer exigua non habet Vrbe locum?
Siccine Terra ſuo Auctori malè prouida ſoluit
Obſequium, & gratum denegat hoſpitium?
At quem non capiunt auguſta Palatia Cæli,
Vrbs anguſta locum illi dare non potuit.

Veniat deſideratus cunctis Gentibus.

C Vr Patribus cunctis olim fuit vna cupido;
Vt Chriſtum natum à Virgine conſpiciant?
Hoc etenim viſo nihil eſt, quod cernere malint:
Huius ab intuitu profluit omne Bonum.

CHRISTI ASCENSIO

Cœleſtis Applauſus.

FElices animæ, quibus eſt ſpectare decorum,
Manibus edomitis, ſcandere in Aſtra Ducem.
Felix illa dies, qua Cælum, ſydus & omne,
Auriferas gaudent ingeminare faces.
Indè triumphales aſpectatura nitores,
Occupat æthereas cælica Turba vias.
Dum redit intereà Victor; ſonat æthere toto
Victor, Io; victor, vox erat vna, redit.

SOLIS DEFECTIO Anno 1639.

In Peruigilio Aſcenſionis hora vigeſima ſecunda.

PHœbus in ætherea Chriſtum dominarier arce,
Vidit, & inſolita luce trophæa geri;
Attonitus vultu ſubitis expalluit vmbris,
Occulit & tremulas nube tegente faces.
Cum noua Chriſtus agit meliori tempora luce,
Iam poteris radios condere, Phœbe, tuos.

Quaſi Aurora progreditur.

VEcta per Oceanum roſeis Aurora quadrigis,
Aurato lætum proueh t ore diem.
Vecta per Empyrçum Virgo, (cui dextra Tonantis
Auriga eſt) hilari lumine & aſtra replet;
Aſt Aurora fugax exorto Sole recedit;
Firmat in æterno Sole Maria moras.

Amicta Sole, Luna, &c.

OBſequium Diuæ Sol, Luna, & ſydera certant
Quale ferant; ſuperos cum petit illa thronos.
Lis ita compoſita eſt; diſtinctos Virginis artus
Quælibet vt propriæ lucis honore colant.
Sol auro corpus redimit, caput Aſtra pyropis,
Circuit argento candida Luna pedes.

Aſſumpta ad æthereum thalamum.

QVantum pulçra nitet Virgo Regina triumphis,
Dum petis Empyreum delicioſa Thronum!
Regia Maieſtas ſupremos ſpirat honores;
Enthea Virgineos complet & Aura ſinus.
Incola miratus Cæli te pronus adorat:
O decus, ò noſtri Dux, ait, alma Chori.

Sol abit in Virginem.

FLagrabat quondam Cælo vis atra Leonis;
Cum Virgo æthereas tendit in Aſtra vias:
Quam ſubitò ardentem placat leuis Aura Leonem!
Quam ſubito ignivomas temperat Aura faces!
Crediderim mites cepiſſe à Virgine mores:
Quà Leo miteſcit: Virginis Aura fuit.

Aſſumpta eſt Maria in Cœlum.

CÆleſtes dum Virgo plagas, ſtellataque tecta
Aſcendit, radijs vndique fuſa ſinus.
Omnes ſtellarum cætus timor vnus adiuit:
Eriperet Virgo ne cui iura loci.
Aſt vbi deferri viderunt altiùs: omnes
Applaudunt hilares Virginis obſequio.

Innixa ſuper Dilectum ſuum.

IMperij captura ſui cæleſtia Regna,
Plauſibus Angelici conſociata Chori.
Dextra innixa Dei vehitur ſuper æthera Virgo;
Quò poterat curru nobiliore vehi?

Domus Lauretana.

SIſte Hoſpes non argenti, non pondus: & auri,
Non lapidum numerus lumina detineant.
Ipſa Domus rerum pretio pretioſior omni,
Omnes diuitias, deliciaſque fouet.
Virginis, ac Matris fuit hæc Domus alma, Deumque
Quamuis anguſto limine contiuuit.

B. Virginis Præſentatio.

AD Templum Virgo properat: ſacriſque dicatur:
Gratior offertur victima nulla Deo.

S. Maria ad Niues.

VRentes iam Roma potes ſedare calores,
Dippluit è Cælo dum pia Virgo niues.

PLAVSVS FESTIVVS IN DOMINICIS NATALITIIS.

Nox ſicut dies illuminabitur.

PEr minimas ſub Sole breui ſua tempora luces,
Extenta męſtus nocte December agit:
Aſt vbi Sol oriens Aeternus nocte coruſcat,
Extenta lætus luce December ait.
Sole dies, nox Sole micat: mea tempora noctis
Neſcia, ſub duplici Sole perennis agam.

Nox ſicut dies illuminabitur.

DIc age, cur medio vernant noua luſtra Decēbri?
Ac nitet in media nocte coruſca dies?
Diuus Amor nuper natus reſerauit ocellos:
Bruma abit ad flammas; Nox fugit ad radios.

Nox ſicut dies illuminabitur.

CHriſtus vbi media natus ſub nocte refulſit;
Clarior enituit Nox, velut alma dies:
Excitus ex vmbris miro fulgore December
Lætus, & exiliens, ſic ait attonitus:
O quę clara micat mihi Nox! iam deſine poſthac
Littore ab Eoo, Phębe, referre diem.

Nox ſicut dies, &c.

DEſine purpureos terris Sol pandere vultus,
Et matutinum deſine ferre iubar.
Diuus amor media natus ſub nocte coruſcat,
Multiplicatque ſuis lumina luminibus:
Hinc oculis abigit Noctem, pellitque tenebras;
Hinc oculis lucem prouehit, atque diem.

Nox ſicut dies, &c.

APpellent alij quouis te nomine, Chriſte,
Te Solem dicam Sole nitere magis:
Sol vmbras, noſtiſque fugat ſi nubila Cælo:
Tu facis in media Nocte micare diem.
Ad Solem fugiunt Stellæ: te Sole Orienre,
Ad radios properant ſydera cuncta tuos.

Hyems tranſit, & receſſit.

DEflebat querulus brumalia luſtra December,
Quodue ſuum premeret cana pruina caput.
In florem Brumam votis ſuſpirat abire:
Annuit hoc Cælum, floſculus exoritur.
Floſculus ille fuit, quo ſydera pulcra renident;
Et quo pulcra nouo flore renidet Humus.
Tranſit Hyems; pulchrum ver appetit: vndè Decēber
Lętus ait: nullis menſibus inuideo.

Hyems tranſit, &c.

MIraris vernos hyberno in temporę flores?
Et profugos toto ſiſtere ab orbè Notos?
Miraris flores inſcriptos nomina Regum
Naſci? perque hilares arua nitere comas?
Deſine mirari: Solis nouus emicat ortus;
Quo calet in medio frigore verna dies.

Hyems tranſit, &c.

INſpice gemmato vernantis ad inſtar Aprilis
Germina, veſtitus flore December habet.
Inſpice diffuſis nitidus ſplendoribus ęther
Fulgurat, in media nocte Oriente die!
Virgo Aurora nouum peperit Solem: vndè December
In media florens nocte, geluque flagrat.

Hyems

Hyems tranſit.

ASpice ſtramineis, quamuis iacet ortus auenis,
Vt pulcher Dio ferueat igne Puer.
Horrida ſæuit hyems: flammas Puer afflat ocellis;
Indè furit Boreas; hinc Puer ore flagrat.
Aeſtuat, ò quantum Diuini feruor Amoris!
Cuius ad ardores horrida Bruma fugit.

H yems tranſit.

MIraris vernos hyberno in tempore flores?
Et dare pacatos horrida Bruma dies?
Pro gemitu riſum: pro fletu gaudia Natus
In media Diuus nocte reportat Amor.
E geminis placidus diffundit lumina ocellis;
Hinc roſeas veris delicias peperit.

Hyems tranſit.

FEruet Amore Puer nuper de Virgine natus,
Atque hyeme in media feruet Amore Puer.
Feruet Amore Puer; quamuis in gramine duro
Adiaceat poſitus; feruet Amore Puer.
Feruet Amore Puer, miſcetque incendia Amoris;
Fiat vt in media temperies hyeme.

Fulcite me floribus.

O Nymphæ, ò Charites, manibus date lilia plenis,
Et ſimùl auricomas approperate Roſas.
Virginei flos ille Chori, quem miſit Olympus,
Floriferum à vobis poſcit habere torum.
Cui Puerò ſi fortè Roſę, ſeù lilia certent:
Lilia palleſcant, erubeantque Roſæ.

Quam pulcher es Dilecte mi.

INſpice quàm pulcher Cælo demiſſus in auras
Sit licet in media nocte, geluque Puer!
Hic vbi candidulo vultu recludit Ocellos,
Aſtra oculis vincit, vincit & ore niues.

Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.

DElicijs opulenta ſuis ita terra triumphat,
Aemula ſydereis iam propè facta plagis.
Sic ait; O Cælum peperit ſua Numina Tellus:
Cerne Deum, noſtras cerne habitare caſas.
O fortunatis certatim ſortibus ambo,
Delicioſe tuis, Delicioſa meis.

Flos Campi.

QVæ noua Progenies Cælo demittitur alto,
In palea, è gremio Virginis orta, iacet;
Cui teneros artus pungit fera Cuſpis ariſtæ:
Hiſpida cui viles aſperat herba toros.
Sic iacet, inque genas maieſtas pullulat: vndè
Floſculus in ſpinis, ceù Roſa, pulcher erat.

Flos Campi.

NOn ſic effundunt Pæſtana Roſaria flores:
Non ſic melliferos germinat Hybla fauos:
Vt dulcem ſpirat diuinus Floſculus auram,
Cælitùs vndè fluit Nectar, & Ambroſia.
Huius in obſequium, quàm pulchri fronte ſerena
Conſurgunt flores, inclyta Roma, tui.

Et in Terra Pax.

CVr Pacem Superum noſtris Chorus intonat oris?
Et vult humanæ fędus amicitiæ?
Ille ſuum nuper conſtringi in vincula Regem
Vidit, & humanis artibus implicitum.

Et in Terra Pax.

ANtea quæ fuerant reſerata per oſtia Iani
  Vecta per in cunctas horrida bella plagas.
Quid mox ſæuitie poſita, toto orbe quieſcunt
  Arma? nec hoſtiles prouocat ira minas?
Occluſis Iani foribus, Rex cælitùs exit,
  Qui pacem terris portat, & arma fugat.

Iacet in Præſepio.

ACcinitur quondam tenues veniſſe ſub auras
  Cæcus Amor, recubans floribus in roſeis.
Diuus Amor contra natus ſua lumina pandit,
  In præſepe cubans, in rigidis paleis.
Cæcus Amor rigidam in paleam ſua germina mutat;
  Sed paleam roſea in germina Diuus Amor.

Iacet in Præſepio.

DIc, age, cur Puerum nuper de Virgine natum
  Excipiat rigido gramine Caula Deum?
Viuebant Homines Pecudum de more: quid illi
  Si pecudum Caulam taliter exhibeant?

Iacet

Iacet in Præſepio.

HAec quæ tota riget, tegiturq; & vimine, & herbis
  Naſcentis Domini conſcia Caula fuit?
Felix, quæ blandis ſonuit concentibus, & quæ
  Innumeris fulſit fulgida luminibus.
O vos cæleſtes ciues, menteſque Beatæ:
  Cernite, quod veſter Rex habet hoſpitium.

Seruile corpus induit.

CVm Deus aduerſum ſtygio de vortice flumen
  Emergi, inque homines rumpere cernit aquas;
Tunc Prolem humanis æterno Numine partam,
  Veſtiuit ſpolijs, oppoſuitque vadis.
Sic nimias auertit aquas, pellitque procellas;
  Sic Dominus ſeruis factus ad aſtra via eſt.

Canunt Angeli, luget Infans.

PLauſibus Angelicis reſonabat totus Olympus;
  Dulciſonumque dabat cælica turba melos:
Cum Puer exoriens pulſat vagitibus Auras,
  Irrorat madidas lachrimuliſque genas.
Angelicus cantus, puerilis lachrima certant;
  Placet vt iſta Deum; plaudat vt ille Deo.

CHRISTI ASCENSIO

Cœleſtis Applauſus.

FElices animæ, quibus eſt ſpectare decorum,
Manibus edomitis, ſcandere in Aſtra Ducem.
Felix illa dies, qua Cælum, ſydus & omne,
Auriferas gaudent ingeminare faces.
Indè triumphales aſpectatura nitores,
Occupat æthereas cælica Turba vias.
Dum redit intereà Victor ; ſonat æthere toto
Victor, Io; victor, vox erat vna, redit.

SOLIS DEFECTIO Anno 1639.

In Peruigilio Aſcenſionis hora vigeſima ſecunda.

PHœbus inætherea Chriſtum dominarier arce,
Vidit, & inſolita luce trophæa geri;
Attonitus vultu ſubitis expalluit vmbris,
Occulit & tremulas nube tegente faces.
Cum noua Chriſtus agit meliori tempora luce,
Iam poteris radios condere, Phœbe, tuos.

EPIGRAMMATVM

SACRORVM.

LIBER SECVNDVS.

AD D. MICHAELEM ARCHANGELVM.

Votum pro Pace.

Aligerum Ductor Michael, qui cælitus hoſte
Deiecto, Pacem reddis habere Polos.
Supplicibus votis, lachrimiſque precamur obortis
Affer opem; Latium cum fera Bella premunt.
Affer opem, repetantque nigrum fera Bella ſub Orcum
Te duce, tranquillæ tempora Pacis eant.

Ad Eumdem.

DVx Michael cęleſtis agas noua fulmina in Hoſtes,
Atque iterum per te caſtra inimica cadant.
Te Duce laurigeros victricia ſigna triumphos
Applaudant votis Diua Caterua tuis.
Nam Deus Omnipotens dederat tibi poſſe rebelles
Conculcare acies; muneris hocque tui eſt.

Mons Garganus D. Michaeli Sacer.

GArgane mons felix: felix mons Gargane, nullis
Vel fortunatis montibus inuideas!
Terque, quaterque tuo felix ſub vertice, Tellus
Prædita cæleſtis Numinis auſpicio.
Sub Ducis inuicti Michaelis tuta quieſcis:
Hinc fugiunt Manes; hinc inimica Manus.

Lucifer Cœlo pulſus.

LVcifer vt celſo ſolium ſuſtollat Olympo,
Audet in æthereas bella ciere plagas.
Signifer at Michael vocat ad ſua ſigna ſodales,
Atque hoſtem in ſtygios cogit abire lacus.
Sic ruit ille miſer Lernæa ſub antra repulſus,
Qui ſibi ſuſtolli vult ſuper Aſtra thronum.

Diuus Ioannes Baptiſta Non ſurrexit Maior.

O Quanta reflnit meritorum laude Ioannes!
Æterni Solis Lucifer ille fuit.
Cumque homines inter maior ſupereminet omnes;
Ille eſt proximior mentibus Angelicis.

D. Io: Baptiſta Lucifer, & vox.

CVr multi gaudent Puero naſcente Ioanne!
Lucifer exoritur: Sol propè Chriſtus erat.
Curuè Patri ſubitò redijt ſibi dempta loquela?
Vox quoniam Verbi filius exoritur.

Herodes iubet afferri caput Ioannis Baptiſtæ.

INter lautiferæ conuiuia pinguia Menſæ,
Pocula multiplicat mutua dulce merum;
Ludentes choreas alternat blanda Puella;
Rex iubet afferri, quod caput abſciderat.
Triſte nefas! immane ſcelus! facinuſque cruentum!
Non alijs ſaturat ſe feritas epulis.

D. Ioſeph
Puerum Ieſum complexus.

O Accepte Deo, meritis, ſanctiſſime Ioſeph,
Æterni cuſtos Pignoris vnus eras:
Et cum cæleſtem gereres ad pectora Regem,
Et regeres inter brachia ſæpe tua.
Cælum non humeris Athlas ita ſuſtulit; in te
Fabula quæ fuerat, vera fit Hiſtoria.

Ex eodem Argumento.

IMmenſam digitis molem qui ſuſtinet Orbis,
Hunc vlnis Puerum tu geris alme Senex.
O felix pondus, quo confirmata ſenectus
Robur habet, ſenij nec graue ſentit onus!

Ex eodem Argumento.

ASTriferum valido qui tergore ſuſtinet orbem,
Athlantem mendax fabula priſca ſile.
Ecce Athlanteo ſenior qui robore præſtat;
Hic vlnis Dominum, qui regit Aſtra, geris.

D. Petrus inuerſus Cruci figitur.

IN cruce confixus conuertit ad æthera plantas,
Conuerſo capitis vertice verſus humum.
Sic moriens Cælum Petrus proſpectat apertum;
Et properat facilem promptus ad aſtra viam.

Simon Petrus, & Simon Magus

HOſtis vterque Simon campo decertat aperto;
Diuerſis armis vſus vterque ſuis.
Præſtigijs alter ſimulat ſuper aſtra volatum.
Supplicijs alter dat pia vota Deo.
Ecce ruit ſubitò Magus, Icariaſque ruinas
Expertus, fracto pergere crure nequit.
I nunc, & pennas humeris imponere diſcas;
Quando nequis plantis ſtare, nec ire tuis.

SS. Petrus, & Paulus in vita, & in Morte Socij.

FOedus amicitiæ Pyladi ſociauit Oreſtes;
Soluit id interitus fœdus amicitiæ.
Fœdus amicitiæ Petro, Pauloque viciſſim eſt,
Quod non diſſoluit vita, nec interitus.

D. Petrus in vinculis dormit.

ARmatos inter cuneos in carcere cæco,
Dum tibi conſtringunt ferrea vincla pedes.
Quid placido dormis ſomno? nihil horrida fata
Petre times? Cuſtos Angelus aduigilat.
Carceris hic portas, hic ferrea clauſtra recludit,
Præbet & effugio dux mihi certus iter:

Ad eumdem ſolutum vinculis.

FErrea panduntur tibi carceris oſtia: nobis
Auratos Cæli tu, Petre, pande fores.

D. Paulus Prædicator Veritatis.

MIraris Paulum facientem verba tonare,
Et quod Celeſti fulminet eloquio?
Deſine mirari: quondam ſuper æthera raptus
A Cælo didicit non ſecus ille loqui.

Diuus Paulus conuerſus.

SAulus equo vectus ferro præcinctus acuto;
E Solymis præceps accelerabat iter.
Perdere Chriſtiſequas cædem ſpirabat anhelans,
Inque Gregem rapidus, ceu lupus acer erat.
Aſt vbi cæleſtes tonuerunt ęthere voces:
Saule rapax, quid me perdite perſequeris?
Stratus humi: quid vis faciam? ſum promptus adire.
Quam ſubitò eſt Agnus, qui fuit ante Lupus!

D. Paulus: eſt mihi mori lucrum.

DVm moritur Paulus pro Chriſto dulce triũphat,
Nec pauido ferrum cuſpidis ore timet.
Mortalem, dixit, lucrum eſt profundere vitam:
Vita mihi Chriſtus; vita perennis erit.

D. Paulus Mercurius reputatur.

INter Apoſtolicos deſcriptus Paulus Alumnos,
Cum de cæleſti Numine verba facit:
Mercurium mirata putat Gens credula Numen;
Hic vetus Eloquij celſitonantis erat.
At quid Mercurio Paulum conferre neceſſe eſt?
Fabula veracem tranſit in Hiſtoriam.

D. Pau-

D. Pauli Decollatio.

CVr caput inciſa Paulo ceruice reuulſum,
Cum lacte immixto ſanguine proſiluit?
Talia ſæpe ſuo ardenti ſermone ferebat:
Diſſolui cupio Chriſte, & adeſſe tibi.
His quibus ardebat complens ſua vota libenter,
Credibile eſt, plauſus ſic voluiſſe dare.

Diuus Ioannes recubuit ſuper pectus Domini.

CVr caput in Gremio Chriſti poſuiſſe Ioannes
Dicitur? è cunctis carior vnus erat.

D. Io: in feruentis Olei dolium miſſus.

MIraris flammas inter feruentis Oliui
Victorem vegetem prorſus abire ſenem?
Deſine mirari: ex Oleo robuſtus Athleta
Prælia luctatus, præmia Victor habet.

Veni Domine, noli tardare.

NAſcere Magne Puer, quid gaudia noſtra moraris?
Vera Dei ſoboles; naſcere Magne Puer.
Naſcere magne Puer: mundi melioris origo,
Vera ſalus hominum: naſcere magne Puer:
Naſcere magne Puer: cunctorumque annue votis
Delitijſque tuis, lætitijſque ſuis.

Iacet in fœno.

QVi Cæli, terræque regit miro ordine molem,
Cur Puer in fœno membra tenella locat?
Vt Genus humanum diſcat non eſſe ſuperbū,
Sit fęno ſimilis cum ſibi vita breuis.

Paruulus natus eſt nobis.

PAruulus, & Magnus; vocum diſcordia concors,
Nomine & ille Puer; Numine & ille Deus.

In Solemnitate

DIVI ANDREÆ APOSTOLI

Agricola ioco ludit, & illuditur. Anno 1631.

CVltor agri ſemen ſulcis committit auarus
Cum prope littoribus, blanda Syrena, tuis.
Hunc ſocius vidit cultum fraudare dici,
Qui Sacer Andreæ eſt, vidit, & admonuit.
Subridet, monitumque ioco colludit, & inquit.
In mare Piſcator retia pandat aquis.
Cum flauet matura Ceres (mirabile viſu)
Squamigeram ſegetem colligit Agricola.
Piſcis ad inſtar olent fruges, halantque nidorem.
I nunc, & Diuos ludere diſce iocis.

D. Antonij Abbatis Nomen Dæmones terret.

AD ſolum Antonij nomen dant ore latratus
Cur Phlegetontæi, triſtia monſtra, Canes?
Antonij virtus his tunſerat ora frequenter:
Feruida quos torret, frigida terret aqua.

Diuus Matthæus Apoſtolus

A Telonio ad Apoſtolatum.

INter opes, auri ſitiens, cumulare parabat
Multiplici rerum fœnore auarus opes:
Excitus ad Chriſti vocem, vultumque ſerenum,
Deſinit omnigenas, quas cumulabat, opes.
Ad te, ait, en venio, te te, mea vita, ſecutus:
Tardabunt rapidos vincula nulla pedes.
Non ſic, non ferrum magnes trahit; vt tua, Chriſte,
Lumina me rapiunt, & tuus vrget Amor.

Idem Argumentum.

FOenera dimittis: ſequeris Chriſtumque vocantem
Vis eſt cæleſtis, quæ tua corda rapit.

Diuus Barnaba Apoſtolus Creditus Iouis.

BArnaba ſit meritis quantis, hinc accipe, Lector,
Vir bonus Antiquis, & Iouis inſtar erat.

Idem

Mons Ianiculus cur aureus appellatus.

NOn ego ſublimi pertingo vertice Nubes,
Vertice quas ſupra celſus Olympus abit.
Non ego perpetua flammarum luce coruſco,
Perpetuis flammis qualiter Æthna flagrat.
Non ego ſum celebris Superum natalibus vllis,
Delos vt eſt celebris, Lunaque, Solque tuis.
Cedite ſed cuncti mihi Montes cedite Monti:
Aureus appellor, quod Petrus hic moritur.

D. PETRVS

Non noui Hominem

DIVA MARIA MAGDALENA

Neſciebat quia Ieſus eſt.

NOn nouit Chriſtum Rediviuum Magdala: Petrus
Non nouit Dominum, qui moriturus erat.
Eſt error ſimilis, ratio ſed diſtat Amantum:
Magdala Amore flagrat, friget Amore Petrus

D. Alexius Peregrinus.

CVm Phębo parili ſplendore coruſcat Alexis,
Et potis eſt lucem condere vterque ſuam.
Ille ſuam nigra condit ferrugine frontem,
Hic ſua ſub lacera corpora veſte tegit.
Hinc maiora tamen miracula prę̨ſtat Alexis:
Bis ſeptem hic annos: vix latet ille diem:
Et cum tam longo latuiſſet tempore; Solis
Æmulus ex tenebris clarior enituit.

Diuus Damaſcenus Aſſertor Sac. Imag.

INdigitum ſacra pictos in Imagine vultus
Defendis docta, fortis Athleta, manu.
Cur tamen immanis conficta fraude Tyranni
Abſcindi conſtans eſt tibi iuſſa manus?
Non opus eſt manui calamoque, nigroque liquore,
Aſſeritur melius ſanguine vera fides.

D. Bernardus Abb. Doctor Mellifluus.

VIrtutum redolet grato Bernardus odore:
Sic nomen factis conuenienter habet.
Lactea verba fluunt Bernardi ex ore loquentis;
Lac quia Virgineis potat ab vberibus.

Inno-

Innocentes Martyres Chriſti Inſecutor ſuſtulit.

Ceù turbo naſcentes Roſas.

NAſcentes roſeo veluti de ceſpite flores,
Innocuos partus, quos prior aura fouet.
Quid furor Herodis, ventoſi turbinis inſtar,
Sub debacchantis militis enſe metit?
An valet inſectos ferro deperdere flores,
In ſe translatos quos Paradiſus habet?

Idem Argumentum.

O Fera barbaries, feritas troculentaque Natos
E Matris raptos vbere dilanias!
Sic ſolet è tenero conuellere ceſpite flores,
Et vix exortas perdere, Turbo, Roſas.

Herodes ſæuiens in ſanctos Innocentes,

Non eripit Mortalia, qui Regna dat cæleſtia.

QVi furor Herodis temulentus concitat iram?
Sanguinis eluuiem tàm grauis ira ſitit?
Grex tener Infantum ferro mactatur acuto?
Tam crudele nefas in puerile genus?
Pone iram: non regna rapit tua, crede, Puellus;
Non aliena rapit, qui ſua Regna dabit.

Herodes crudelis in Sanctos Innocentes.

HErodes iubet Infantes mactarier, heù heû,
Quam ſæua humano in pectore barbaries!
Deſine mirari, Herodes ſi ſęuiat: Agnos
Nam gerit in teneros corda inimica Lupus.

Diuus Stephanus Protomartyr

Lapides torrentis illi dulces fuerunt.

TVrba grauis denſo lapidum furit imbre: procella
Inuicto excipiens pectore, Martyr ait,
Totus ab exciſo refluat de corpore ſanguis:
Multiplices iactet dira manus lapides.
Nam lapis appoſitus, veluti mihi gemma, coronæ,
Sanguineo intinctus fonte, pyropus erit.

Idem Argumentum.

IN Stephanum lapides iuuenum cum dextera iactat,
Lætus ait: ſaxis addite ſaxa manu.
Sic mihi ſublimes poterunt ſuper aſtra abeunti,
Congeſta ad Superos condere ſaxa gradus.

Diuus Laurentius Martyr poſitus in igne,

Ad Tyrannum.

DVm iacet ardentes ſupra Laurentius ignes,
Auricomas inter ſe putat eſſe Roſas.
Ludit, & illudit placido ſermone Tyrannum;
Excrucia flammis; ignibus vre; crema;
Sic ego totius profundere ſanguinis imbrem
Gaudeo, & in toto corpore poſſe pati:
Iam latus exuſtum conuerte; vt ferrea Crates
Dum facit aſſatum, ſit tuus iſte cibus.
Sic tua ſic feritas rabiem ſatiauerit atram;
Decreſcetque Auri ſic quoque fortè fames.

Idem Argumentum.

PRincipis illudit tetrici Laurentius iras:
Namque nihil lauro fulminis ira nocet.

Diuus Laurentius In igne poſitus Ad Tyrannum.

IN medio poſitus fuerat Laurentius igne;
Et tamen in roſeo ſe putat eſſe thoro.
Feſtiuas reſonat lęto de pectore voces,
O feritas ignes ignibus adde tuis.
Inuicta eſt laurus, rapidis concuſſa fauillis,
Exultat victrix; datque canora ſonos.

D. Vincentius Martyr Inuictus.

SI manet inuictus pœnas Vincentius inter,
Quid ſibi blandities, ò Daciane, tuę?
Lautiferam dapibus menſam, roſeumque cubile
Conſterni ficta cum pietate iubes?
Supplicijs, pęniſque nequit deuincier vllis;
Et vis inuictum vincere delitijs?

Diuus Vincentius Martyr.

MVlta valet tormenta pati Vincentius: ignem,
Verbera, Teſtarum fragmina, vincla, necem.
Attamen impauidus, veluti Marpeſia Cautes;
Deijcitur nullo turbine fortis eques.
Non vinci potuit, pœnis Vincentius vllis,
Nam benè cùm rebus nomina conueniunt.

D.D. Vitalis, & Agricola Martyres.

EXanimem ſocium pœnas cùm cerneret inter;
Pro Chriſto, alter ait, ſit tibi vita mori.
Confirmant tenues vires, animoſque cadentes,
Vitaleſque ferunt tàm pia verba vices.
Fidus Vitalis ſocius! vitalis haberi
Iure potes, vitam, qui mihi voce paris.

SS. Quadraginta Martyres

Tranſiuimus per ignem, & Aquam.

BElligeros Iuuenes numerò quadraginta fideles
Excruciat paribus viribus, ignis, Aqua
Hi bene purgati Patriæ cęleſtis adibunt
Limina; cùm properent per ſimul Ignem, & Aquam

San-

Sanctus Petrus Martyr.

PRotector fidei Martyr, fortiſſimus Heros,
Inſido fuerat de Genitore ſatus.
Obſcura ſic clara dies de nocte coruſcat:
Sic quoque de ſpinis purpurat orta Roſa.

Idem Sanctus Martyr.

SAucius, ac moriens recitat ſacra ſymbola; & inquit:
Viuat in effuſo ſanguine vera fides.

Idem Diuus Petrus Martyr.

Carnifici Aurum ſoluit.

TEr conata manus ceruicem abſcindere collo,
Ter quoque barbaricum territa linquit opus.
Tunc fidei Defenſor ait: Depone timorem,
In noſtrum feriat dira machæra caput:
Accipe, doque aurum: Cælum venale parabo:
Scilicet hoc auri, ſanguinis & pretio.

Hęre-

Hæreticus petit Solem nube tegi.

CVr lucem obduci compacta Nube requiris,
Et ſolis radios non potes vſque pati?
Aut lippis oculis, aut læſo lumine viuit,
Qui fugiens lucem vult ſibi nube tegi.
Vt poſſis lucem medio ſub Sole tueri;
Tollier ex oculis nubila poſce tuis.

Idem Argumentum.

OBduci denſo nitidum cur aere Solem
Poſcis? & obſcura nube latere diem?
Poſce tibi tenebras detergi, & nubila mentis;
Vt queat errorem mens tua conſpicere.

Diuus Clemens Pontifex Fontem Aquæ impetrat.

AGmina Chriſtiadum duros paſſura labores,
Dum fodiunt montis viſcera, & oſſa terunt;
Vrget amara ſitis: ſaxis aſperrima Tellus
Aret; & emanat fons ibi nullus aquæ:
Clemens Paſtor erat, lachrimis orauit obortis
Fontis aquam; ſenſit tam pia vota lapis:
Namque perennis aquas manauit fontis ad inſtar.
Duri molleſcunt à lachrimis lapides.

Eidem

Eidem Angeli Sepulchrum condunt.

FLuctibus in medijs puro de marmore templum
Pro tumulo Angelicæ compoſuère manus.
Angelus in vita fuerat, cui buſta parauit
Non alia Artificis, quam manus Angelica.

Diuus Marcellinus Pontifex.

POntificis concuſſa fides formidine pœnę
Deficit? infidis thura dat ille Deis:
Aſt vbi defectum deterſit lachrima; robur
Haurit ab infirmo pectore lapſa fides.
Teſtificata Deum, conſpectum Præſidis ante
Inconcuſſa minis mortem animoſa ſubit.
O quantum vel lapſa fides animata! fuiſſet
Ni defeciſſet forſitan illa minor.

Diuus Marcellinus Pontifex.

POntificum Princeps timidus formidine pęnę,
Marmoreis adolet thurea grana Deis.
Aſt vbi pœnituit; conſpectum Pręſidis ante
Aduenit, & vanos comprobat eſſe Deos.
Atque ait: O virtus firma ti pectoris, oro,
Quam timor eripuit, tu mihi redde fidem.

D. Mar-

Diuus Martinus Pontifex Dum ſacrum facit petitur ad necem.

PОntifici ſcelerata manus quid tollere vitam
Niteris? ad vitam dum tibi dona parat?
Sic equidem Vulgi veriſſima dicta probantur:
Improbitas nullis flectitur obſequijs.

SS. Victor, & Corona ſimul Martyres.

INclyta dum Victor pro Christo prælia certat;
Victori merito eſt facta Corona comes.

S. Agapitus Puer Martyr.

PRo Puero certat Deus; enſem projice Tortor:
Si tu vis puerum vincere, vince Deum.

S. Pancratius Puer Martyr.

QVid Puero tormenta ferox? Diuinitus illa
Pancratius didicit vincere Pancratice.

S. Ze-

S. Zephyrinus Pontifex Maximus.

PElle procul, tuta vectus rate, nauta, timorem;
Nauigij clauum dum Zephyrinus agit,
Fatiferos firmo frenat ſub carcere ventos,
Vt Zephyri placidos deuehat Aura dies.
Quam Zephyrinus agit, Zephyro ſpirante fauorem,
Hęc poterit mergi naufraga puppis aquis?

S. Stanislaus mortuum ad vitã reuocat.

REx agitare foro quid vendita prædia cogis,
Pro quibus argentum iam fuit ante datum?
Si deſunt tabulæ, precibus reuocabitur vrna
Mortuus. & facti Teſtificator erit.
Subrides? pietas nullo fraudatur ab aſtu:
Mortuus en ſurgit venditor è tumulo.

S. Gordianus ex Tyranno Martyr.

INter ſæuitię mala fata Tyrannus obibat
In Chriſti famulos triſte miniſterium.
Aſt vbi crudeles Pietas exhorruit artes,
Abjcit officij, quas gerit ille, vices.
Et qui Martyribus tentauit funera mortis,
Pro Chriſto Martyr ſuſtinet ille mori.

Diuus

Diuus Georgius Draconem necat.

QVod Bellator equo deuectus, & enſe Draconem
Fortior inuadat, diraque colla premat.
Non eſt mirandum, didicit configere monſtra,
Quæ tetra ſulphureo Tartarus amne nutrit.

S. Apollinaris Martyr.

LVmina dat cæcis, greſſus dat robora claudis,
Inſignis multa Relligione ſenex.
Hic tamen aduerſis agitatur ſæpè procellis:
Virtutem in medio Turbine Nauta probat.

Chriſti Mors, & Reſurrectio.

CVm Chriſtus moritur, tūc Sol obducitur vmbris:
Vertitur hinc orbis de thalamo in tumulum
Cum Chriſtus ſurgit tunc Sol quoque clarior exit:
Vertitur hinc orbis de tumulo in Thalamum.

Diuus Gregorius Magnus Summus Pontifex.

APtum Gregorio nomen fecere Parentes:
Paſtori nomen conuenit hoc Vigili.
H c bonus vt Paſtor, ſacro vigilauit Ouili,
Vt lupus auderet nullus adire Gregem.

Diuus Gregorius Magnus Pontifex Maximus.

MAgnus Gregorius prȩclara ſtirpe creatus:
Magnus Doctrina: Magnus & ingenio:
M ignus virtute: & ſacro Magnus honore:
Ex titulis M ignus terque, quaterque ſuis.
Et cum tam Magnus factis ſublimibus extet,
Ex Magno factus Maximus enituit.

Diuus Gregorius Magnus Inter opes Inops.

INter opes; inter diademata, ſceptra, Thiaras;
Magnus Pauper amat viuȩre Gregorius,
S.c eſt in medijs poſitus non mergier vndis;
In medio ſic eſt vrier igne nihil.

Diuus Ambroſius Eccleſiæ Doctor.

NOmen ab Ambroſia Puero fecere Parentes,
Cuius in ore fauos mellificatis Apes.
Eloquij dedit ille ſui dulciſſima verba:
Ille dedit vitę dulcia facta ſuæ.
Ilicet ambroſia Diuornm, & nectare potus,
Melleus eſt vita: Melleus eloquio.

Diuus Ambroſius Dulcis Orator.

AMbroſius fuerit ſi mellea verba locutus:
Nil mirum: in labijs mellificauit Apes.

D. Auguſtinus Eccleſiæ Doctor.

INgenium Auguſtum, Virtus Auguſta, Decuſque
Auguſtum ſacra conditione fuit.
Non bene contractum Auguſtinus nomen habebit,
Qui micat Auguſtus tot ſimul ex titulis.

D. AVGVSTINVS Dotibus Auguſtus.

MEnſis ab Auguſto Auguſtus ſua nomina traxit.
Ille fuit caſtris, Imperioque potens.

Mox

Mox Auguſtini vellet de nomine dici,
Qui fuit ingenio, mente, animoque Pius.

Diuus Auguſtinus De Sanctiſſima Trinitate Scriptor.

LVmen inacceſſum Triadis qui mente penetrat;
Regia præ cunctis eſt Aquila ingenijs.

Diuus Auguſtinus Puerum videt, Qui Maris vndam laborat exhaurire, Myſterium Sanctiſſimæ Triadis expoſiturus.

CVm Puer exigua foueam feciſſet arena,
In qua pronus aquas conderet ille maris;
Hoc viſo, Auguſtinus ait: labor ille quid optat?
Hoc opus incaſſum eſt, dic age, blande Puer?
Cui paucis reſponſa dedit, dixitque roganti:
Hac maris in fouea condere aquam cupio.
Tunc ſibi ſubridens, reſpondit: inane laboras
Foſſa mare immenſum non capit exigua.
Et Puer: immenſam Triadem quid tu ipſe putabas,
Poſſe capi exiguę mentis ab ingenio?

Diuus Hieronymus, Eccleſiæ Doctor.

Leonem cicurem habet.

MAgnanimus Leo Syluarum terror, & horror,
Si tibi ſancte Senex adiacet ante pedes.
Non facit iniuſſus; nulloque docente Magiſtro:
Ingenui mores hunc docuere tui.

Idem Argumentum.

DAlmata ſancte Senex, mira virtute Sacerdos,
Egregio Doctor Maximus ingenio,
Ipſe Leo gratus geſtit tibi reddere grates,
Obſequijs promptus; pronus, & ante pedes.
Ecquis non credat, valeat quod Gratia tantum;
Molliat vt mores, nec ſinat eſſe feros?

Idem Argumentum.

SI Leo blanditur placidus tibi; Dalmata, mores
Primæuos hominis tu geris innocuos.

Diuus Ioannes Chryſoſtomus Eccleſiæ Doctor.

AVrea verba labris, refluunt dicta aurea libris,
Aurea vita nitet dotibus ingenuis:
Gratia iure tibi nomen dedit aurea; totus
Aureus ingenio, moribus, eloquio.

Diuus Ioannes Chryſoſtomus Miſſus in exilium.

QVamuis preclaris meritis Chryſoſtomus eſſet;
Hic tamen Inuidia eſt exul ab vrbe procul.
Mos eſt Inuidiæ ſemper contendere honori,
Nullaque cum meritis fędera liuor habet.

Diuus Bonauentura Eccleſiæ Doctor Seraph.

SEraphicis incluſa nitet ſapientia chartis,
Quas ſtuduit Doctor ſcribere Seraphicus.
Ante oculos Chriſtum ſemper, mentemque ferebat;
Qui ſibi pro cunctis, vt liber, vnus erat.

Diuus Bonauentura Eccleſiæ Doctor,

Scriptor Vitæ Sancti Franciſci.

SEraphici pia facta Viri, qui ſcribere poſſet,
Ille fuit Doctor non niſi Seraphicus.

D. Thomas Angelicus Doctor.

CAntica cæleſtis thalami prope funus Aquinas
Concinit; vt poſſit dicier alter Olor.
Hic etiam ſcriptis vibrauit fulmina in hoſtes:
Altera qui poſſit dicier, eſt Aquila.

Diuus Martinus Fortis, & Pius.

PRimæuo Miles Martinus flore Iuuentæ
Armata ſequitur fortia bella manu.
At pietatis amans nudo miſeratus egeno
Dimidiam clamydem prębet in auxilium.
Sic Iuuenis Miles duplici dignatur honore:
Quod fortes animos: quod pia corda gerit.

Diuus Martinus Adhuc Miles Pauperi Clamydem partitur.

NVdus erat gelidos inter pauperrimus imbres
Cernuus armati militis ante pedes,
Enſe pius Clamydem partitur Miles egeno,
Quo mox precinctus tegmine Chriſtus adeſt.
Ilicèt aſſimilis Chriſtus, velut alter Amicus,
Dimidium voluit militis eſſe ſui.

Idem Argumentum.

PRomptus adeſt miles nudo ſuccurrere egeno,
Dimidiam Clamydem, quam ſecat enſe, dedit.
Mox Clamyde accinctus media pro paupere Chriſtus
Nocte ſub obſcura clarus ab Axe venit;
Militis obſequio grates redditque benignas:
O Pietas Dominò tàm benè grata ſuo!

Diuus Martinus Miles Ante Aciem poſitus inermis.

ANte aciem poſitus, nullis munitus & Armis,
Martinus forti pectore Miles erat.

Nec timet armatos hoſtilis, & Agminis auſus:
Inuictrix animat nam ſua corda fides.

Diui Damaſi Pontificis
Delator falſus punitur.

Qui Damaſum culpat florem violaſſe pudoris,
Et vocat ad ſacrum non ſine fraude forum
Is cum deficiat fallaci fronte probare,
Delator mendax dicitur eſſe Reus.
Et luit emeritas ficto pro crimine pœnas:
Sæpè malum peperit lingua proterua ſibi.

D. Leo Pontifex
Verno tempore obit.

Qui Leo Magnanimus Romanæ præſidet Vrbi,
Tot meritis fulget, quot Polus Aſtra gerit.
Dignus erat Cęlo: Cæli quoque regna petiuit,
Cum refouet Zephyris mitior aura dies.
Cede Leo ardentes qui deuehis axe calores:
Hic Leo cæleſtis ver geniale refert.

Diuus

Diuus Gregorius Nazianzenus Se Epiſcopum deflet.

GRegorio licuit celſos contingere honores,
Cui cinxit meritas Infula ſacra comas,
Quem tamen aſſiduis videas deflere diebus,
In tam ſublimi ſe reſidere loco.
Non ignorabat, qui ſumma cacumina ſcandit;
Terreri lapſu ne grauiore ruant.

Diuus Nicolaus Epiſcopus Pauperculis Virginibus opitulatur.

QVæ probra non cogit meditari turpis Egeſtas,
Tres Natas Genitor proſtituiſſe parat.
Fert miſeratus opem Præſul Pataræus, & aurum
Ter iacet occulta nocte per ora domus.
Virginibus ſeruatur honos: ità Iuppiter aurum
Dipplue: quo niteat candida Virginitas.

D. Aegidius Abbas Et cerua ſibi opem ferunt.

CEru: Seni dat lactis opem: dat ſanguinis imbrem
Pro Cerua ipſe Senex: hæc dedit, ille refert.

Idem

Idem Argumentum.

REgia turba canum ſyluis circumſona prædam
  Inſequitur, trepido quos pede Cerua fugit.
Cerua fugax nemorum properauit in antra: morantē
  Hìc vbi & illa Senem lactis alebat ope.
Præſtat Alumnus opem Ceruæ ſua fata timenti,
  Et procul arcetur vis inimica Canum.
Gratia muneribus par eſt: dum ſedula nutrix
  Cerua ſeni eſt: Ceruæ prouida cura ſenex.

S. Ægidius Abbas Honorum contemptor.

ÆGidius fuerat vani contemptor honoris,
  Syluarum fugiens venerat in latebras.
His vbi venatum Rex Gallicus appulit antris,
  Vltro ſenem multis afficit obſequijs.
Sic ita qui vanos populi contempſit honores,
  Rege vel à Magno pręmia honoris habet.

D. Benedictus Abbas viſus Per comptas Cæli vias ingredi.

QVa Benedictus adit, cæleſtia ſtrata viarum,
  Vndique laurigero compta tapete micant.
Ille

Ille etenim ſtygios bello deuicerat hoſtes,
Et nunc ad Cæli præmia Victor ouat.

D. Dominici Matris in Somnis viſio.

ACcenſam vidit Genitrix per ſomnia tædam,
Candidulus patulo, quam gerit ore Canis;
O igitur fures procul hinc, procul ite profani;
Ad lucem vigilat dum Canis excubias.

D. Franciſci Sacra Stigmata.

ÆStuat ardenti Franciſci pectus Amore;
Ac veluti rapidis ignibus Æthna flagrat.
Seruus, ait, ſum, Chriſte, tui ſum ſeruus Amoris,
Tu mihi amoriferas mancipis adde notas.
Chriſtus ad hæc: ſeruo tàm feruida vota benignus
Annuit: & ſignis non vacat ille ſuis.
Iam nemo me tangat, ait, procul eſto profane;
Sum Domini ſeruus, cum gero ſigna mei.

S. Ludouicus Rex Galliæ peſte ſublatus.

REx acies iterum reparat Ludouicus in hoſtem,
Odryſiam cupidus flectere barbariem.

Magnanimum Regem tamen enecat improba peſtis:
Sic quoque pulcrum eſt pro Relligione mori.

D. Nicolaus Tolentinas.
Inſtar Solis occumbit.

VEnerat ad lethum lætus prope funeris horam
Vir Tolentinas; cum noua Stella micat.
Adſtat & ægroti morientis deſuper ædes;
Et circum auratis ſerpit amica comis.
Nil mirum: illuxit Nicolaus Sol velut alter;
Solis ad occaſum naſcier aſtra ſolent.

Diuus Antonius Patauinus
Piſces alloquitur.

CVm pius Orator narrat ſacra dogmata legis,
Denegat huic aures turba maligna dare.
Ille abit ad ſteriles notum prope littus arenas,
Et vocat ęquoreos ad ſacra verba Greges.
Adſunt multiplices prompti, velut agmine facto,
Et verbum attenta protinus aure bibunt.
Indociles hominum mores ita dixeris eſſe?
Et docile æquoreis piſcibus ingenium.

D. An-

Diuus Antonius Patauinus Miraculis clarus.

Vincla, procella, fames, Morbus, Dęmonq; fugātur
Vix implorato nomine, Diue, tuo.
Sic eſt cæleſti tantum virtute valere:
Territa diffugiant vt mala cuncta procul.

S. Caſimirus Princeps rerum contemptor.

PRo nihilo Caſimirus opes, Diadematis aurum
Diuitiás Regni, deliciáſque facit.
Aſpera difficilem tendit per compita callem
Ad bona, quæ Virtus non peritura, parit.
Non mirum eſt, Iuuenem rerum contemnere pōpas,
Qui bona fortunæ pulueris inſtar habet.
Qui Cælum terris præfert, qui veraque vanis;
Qui didicit pariter deſipere, vt ſaperet;

D. Franciſcus à Paula Extenſo Pallio mare tranſit.

DEnegat ingratus Seniorem Nauita lintro
Excipere, vt Siculum tranſeat ille fretum.
At Senior fretus Diuini Numinis aura,

Per liquidas panſo tegmine tranat aquas.
Tutus & euadit properatæ ad littora Terræ:
I nunc, & lintrum nauta maligne, nega.

Idem Argumentum.

PAlliolo expanſo Calaber ſine remige tranat,
Et ſine Naue freti per mare, Scylla, tui.
Viderat è ſcopulo poſitus Neptunus ab alto,
Obſtupuit: reliquos alloquiturque Deos.
Quid mea, quid querimur conſcindi marmora ligno,
Si lacero Senior tegmine ſulcat Aquas?

S. Paulinus Nolæ Epiſcopus Auri contemptor.

SAncte Senex, auri deſpecto munere; poſcis
Captiuos Patriç poſſe referre ſuç.
Mirandum factum! meritò vir Iure Beatus!
Si quis poſt aurum non abit, hic bonus eſt.

Idem S. Epiſcopus ſe mancipat vt alium redimat.

PRo capto puero Senior ſe mancipat: hic eſt
Verus in humano pectore Patris Amor.

D. Ale-

D. Alexius peregrè profectus.

EXierat Patria de diuite Pauper Alexis,
Gaudebatque alijs neſcius eſſe locis.
Et quamuis iterum patrias agnouerit ædes:
Ædibus in patrijs attamen exul erat.
Scilicet exilium terris habet omnibus; vnam
In Cælo Patriam, qui putat eſſe ſuam.

D. Philippus Nerius Florentiæ natus Menſe Maio obit.

ORtum Flora ſuo dederat pia Patria Ciui,
Cui vitæ occaſum florida Flora dedit.
O quantum ingenium eſt fatis! ferit inclyta florem
Flora ſuum: & florem florida Flora legit.

Idem canitie alget, & Amore in Deum feruet.

NIx, & flamma gerunt in te conſortia, Neri,
Nix alget capiti: corda ſed igne flagrant.
Quis neget aſſimilem te te mirabilis Æthnæ?
Sic habet Æthna niues; ſic habet Æthna faces.

Idem orat, & lachrimatur.

CVr quoties Numen pronus reuerenter adoras,
Erumpunt madidis flumina luminibus?

Ad

Ad tua vota Deus Nectar tibi ſæpè propinat;
Ebria ne ſit mens, fundit aquas oculus.

Diui Philippi Nerij Epitaphium.

AD tumulum Nerei manibus date lilia plenis,
Spargite purpureis mixta ligustra roſis.
Et dignum tumulo Vates ſuperaddite Carmen:
GEMMA SACERDOTVM clauditur hoc tumulo

Sanctus Norbertus omnia relinquit.

DImittit Norbertus opes, & inania rerum,
Paupertatis amans ad ſacra caſtra venit.
Et ſapienter agit; cum quis deſcendit arenam,
Colluctaturus projcit exuuiás.

Sacræ Reliquiæ.

ARida vitalem ægrotis dant oſſa ſalutem;
Quamuis antiquis erûta de tumulis.
Talia ſanctorum fiunt miracula: Virtus
Illorum è Cælo eſt, non iacet in tumulis.

San-

Sanctiſſimam Euchariſtiam

Hæreticus negat, mula colit!

TRiticeo Chriſtum, paruoque ſub orbe latere,
 Deſertor fidei negligit, atque negat.
Quæque erat exuriens, deſpecta protinus eſca,
 Teſtatur flexo poplite mula fidem.
O Hominis mens cœca magis! magis impia corda!
 Quæ tu Sancta negas ſymbola, mula colit.

D. Paulus Primus Heremita.

HOrrida degenti Paulo inter luſtra ferarum
 Ad potum paruo gurgite lympha fluit.
Ardua palma rudes folijs componit amictus,
 Et panis fruſtum ſedula portat Auis,
O quam prompta ſuis famulis ſuccurrit amicis
 In quocumque loco prouida cura Dei!

D. Leonardo Votum.

NOs Leonarde tuis humiles aduoluimur aris:
 Has tibi ſupplicuo fundimus ore preces;
Vt LEO magnanimus ſcelerum da vincere monſtra:
 Vt NARDVS noſtris eſto medela malis.

Florentius Monachorum caſtitati inſidiatur.

NOn bene ſic dictus potuit Florentius eſſe,
Candida qui voluit lilia conterere.

PLAVSVS FESTIVVS.

In ſolemnitate S. Mariæ Magdalenæ.

Phariſæus murmurat ad eius lachrymas.

SIſte Simon querulæ profundere murmura vocis,
Fundit Amoriferas Magdala dum lachrymas.
Haſce tibi guttas pretioſo collige in auro:
Chriſto nulla magis dulcia vina dabis.

D. Maria Magdalena Chriſti pedes lachrymis irrigat.

DIffluit in liquidos, oculis lachrymantibus, imbres
Aſpectum Chriſti, quæ venit ante ſui.
An quia Chriſtus Amor flammas afflarat Amoris,
Clauderet & gelidas Magdala corde niues?

Idem

Idem Argumentum.

DIffluit aſſiduo lachrymarum Magdala fonte,
Viuit & in lachrymis nocte, dieque ſuis.
Continuò ardentes agitant incendia flammas,
Quas fouet interno pectore Diuus Amor.
Vt ſic ingentes flammarum temperet ignes,
Sæpius ex oculis prouida fundit aquas.

Diua Magdalena Chriſto amabilis.

QVæris tàm ſubitò cur Magdala fœdera Chriſto
Iungat amorifera conditione ſuo?
Ante ſuum Solem rorantes dippluit imbres;
Facta Iris; pacis nuncia, fœdus Amat.

Phariſæus murmurat ad lachrymas Magdalenæ.

POne Simon querulas, voluis quas pectore voces:
Magdala Chriſtiferos cum gemit ante pedes.
Hæc ancillatur Domino: tua munera ſupplet,
Et quam non dederas, illa miniſtrat aquam.

D. Magdalena lachrymis rigat pedes Chriſti.

NIl eſt mirandum, Chriſti ſi Magdala plantas
Irrigat, & nemo, quod facit illa, facit.
Quis melius poterat largos profundere rores,
Quam quæ conueniens à Mare nomen habet?

D. Magdalena ex ſuperba humilis.

OLim quæ vano Pauone ſuperbior ibat,
Gaudebatque ſuis delicioſa bonis.
Mox inculta comas, Chriſti veſtigia retro
Procidit, & lachrymis obſequioſa gemit.
Quàm ſubitò facies mutatur! & illa ſuperbo
De Pauone, humilis facta Columba fuit.

Eadem Chriſti pedes lachrymis rigat, & capillis tergit.

IRatum ſibi Cæleſtem cum vidit Amantem,
Magdala lætiferis contemerata dolis:
Ne vibret ille ſui flammantia tela furoris,
Ex lachrymis fluido temperat amne faces.
Neuè procùl Cæleſtis Amor ſe conferat vltor,
Aurato illaqueat prouida crine pedes.

Oſcu-

Oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

MAgdala diuinis pia tradidit oſcula plantis,
Quas linit vnguento, quas lauat & lachrymis.
Cum non his egeas vllis, Tu Chriſte, lauacris,
Cur eſt ſic pedibus obſequioſa tuis?
Turpata eſt vitijs, vitijs perculſa: medelam
Conficit Vnguentum, Balnea dant lachrymæ.

Venit ad Monumẽtum, & vidit Ieſum, & neſciebat, quia Ieſus eſt.

AD tumulum præceps iterumque, iterumque frequentas
Magdala Diuini pondus Amoris amans.
Hic rediuiuus erat, tumuloque excluſus aperto
Chriſtus, & hic tecum Magdala verba facit?
Tu tamen ignoras vigilans, quem quæris Amantem
Sic eſt Argus Amor, ſic Poliphæmus Amor.

Amor meus, pondus meum.

AD tumulum Chriſti Mulier feſtina recurrit,
Anxia per vacuas itque, reditque vias.
Ereptum pûtat inde ſui cùm corpus Amantis:
Accurrit velox, ex Olitore rogat:
Redde, ait, ablatum corpus; mihi pignus Amoris:
Hoc mihi ſi tollas, eſt mihi pondus Amor.

Dic mihi ſi tu ſuſtuliſti eum.

QVæritat in tumulo dum ſedula corpus Amantis
Magdala per varias itque, reditque vias.
Proſpicit Agricolam venientem, prompta repoſcit:
Quod putat ablatum, da mihi Corpus, ait;
His humeris tollam, mihi ſit leue pondus Amoris,
Cælifer & meus eſt inſtar Athlantis Amor.

Dilexit multum.

CVr tam ſæpe ſuas iterumque, iterumque redibat
Ad lachrymas Mulier, cum prope Chriſtus erat?
Intus Amor feruet, coram dum ſpectat Amantem;
Ex oculis ſtillat dulcis Amor lachymas.

Valde mane venit ad Monumentum.

CVr Matutina ad tumulum ſtat Magdalis hora?
Fortè quod è tumulo Sol ſuus exoritur.

Exiſtimans quia Hortulanus eſſet.

CVr Olitoris erat rediuiuus imagine Chriſtus?
Abſtulit hic ſpinas, vt ſata munda forent.

Stabat ad Monumentum plorans.

A Gemmis gemitum: à gemitu ſibi Magdala gēmas
Germinat: & geminat, quo magis illa gemit.

B. Agnes Virgo, & Martyr inter flammas ad Tyrannum.

O Mniuoras inter flammas vbi ponitur Agnes,
Inter Amoriferas viſa iacere roſas.
Sic tumidum ſæuô affatur liuore Tyrannum,
Non cremat Ignipotens, quam fouet Omnipotens.

B. Agnes Virgo, & Martyr.

C Vr Virgo puro de nomine dicitur Agnes?
Quod, velut Agna cadat, victima grata Deo.

B. Cæcilia Virgo ad Tiburtium Coniugem.

L Ilia mixta roſis gratum miraris odorem
Aſpirare? gelu cum malè friget hyems?
Deſine mirari: per candida lilia vernat,
Purpureaſque Roſas florida Virginitas.

B. Cæcilia Virgo in ſtagno poſita.

CAEciliam ſæuus iuſſit penetrare Tyrannus
Tempore brumali ſtagna tacentis aquæ.
Virgo tamen nihil inter aquas, brumaſque niuales
Obriguit: ſed aqua eſt viſa tepere focis.
An quia Diuus Amor demittat cælitùs ignem,
Et gelidas hyemis temperet ardor aquas?

B. Catharinæ Virg. & Mar. ab Angelis Tumulus ponitur.

AD Sinai celebris ſublimia culmina montis
Angelicæ condunt ſacra ſepulcra manus.
Intactoſque ferunt Catherinæ corporis artus,
Et ſimul in pario Marmore Buſta locant.
Angelicam Virgo duxit caſtiſſima vitam,
Compoſuit tumulum cui manus Angelica.

A B. Catherinæ Virg. & Mart. vulnere Lac pro ſanguine.

DIſcindi intactæ Catherinæ colla Tyrannus
Impius immani iuſſerat Imperio.
Aſt vbi percuſſa caput eſt ceruice reuulſum;
Vulnera pro ſolito ſanguine, lacte fluunt.
Nec mirum ſi lactis abit pro ſanguine candor:
Indicium puræ Virginitatis erat.

B. The-

B. Thecla Virg. & Protomartyr. Feris obijcitur.

VInċta vtraſque manus, & nudo corpore Virgo
Proijcitur ſæuis dilaceranda feris.
Tunc ſæuus Leo, Panther ſæuus, ſæua Leæna
Procumbunt placidi Virginis ante pedes.
Miteſcunt omnes: Iudex crudelius inſtat:
Humanum pectus plus feritatis habet.

B. Thecla inter flammas illæſa.

PRoſilit in flammas Virgo, quas Prætor iniquus
Iuſſerat incendi; flamma nec vlla nocet.
Irarum flammas Iudex extingue furentes:
Parcit Virgineos vrere flamma ſinus.

B. Barbaræ Virg. & Mart. ſcopulus effugium præſtat.

BArbara flammigeram Genitoris diffugit iram;
Euaginato qui ferus enſe furit.
Cui dedit effugium mons, ſcrupea viſcera pandens:
I, tua nunc, Genitor, viſcera claude ferox.

Idem Argumentum.

BArbara dum refugit Genitorem fata minantem,
Dat ſcopulus tutam ruptus abire viam.
Aſpera nec poſſunt molleſcere corda parentis;
An quia corda gerit dura magis ſcopulo?

B. Domitilla Virgo, & Mrrtyr delicias ſpernit.

DElicias, & opes renuit Domitilla ſuperbas,
Quas ſibi Romani Principis Aula parat.
Sed magis ardet amans, quas Cælica ſuggerit Aula:
Non Hominem ſponſum quærit; at illa Deum.
Delicias, & opes non eſt contemnere Virgo;
Sic Domitilla ſapit, dum meliora capit.

B. Margarita Virg. & Mart.

COnſpicuas gemmas, vt Margaris emicat inter,
Sic inter Diuas Margaris alma micat.
Diffundit tantum lucis pretioſa nitorem:
Vincat vt æthereas candida gemma faces.

B. Margarita Virg. & Mart.

COnueniens nomen ſplendet tibi Margaris; inter
Virgineos fulges candida gemma Choros.

B.Mar-

B. Martina Virg. & Mart. inuicta.

PRælia dira ſubit, belliquę frequentat arenas,
Virgo cui gladius, cui Leo luſus erat.
I Mars, cede tuos Martinæ, cede triumphos,
Illa trophæa gerit nobiliora tuis.

B. Monica Mater Diui Auguſtini.

IRa Virum ſi quando vrget, pia fœmina flammam
Extinguit placidis protinus obſequijs.
Nullaque multiplicat cum coniuge garrula verba:
Excita non alijs frangitur ira modis.

B. Catherina Senenſis Chriſto Sponſa Cor præbet.

VIrgo ſuum Chriſto cor præbuit: Inde viciſſim
Cor præbet Chriſtus Virgini, & ipſe ſuum.
Sic totus poſthac in Virgine viuere Chriſtus,
Sic tota in Chriſto viuere Virgo ſolet.

B. Catherina Senenſis Spineam Coronam eligit.

QVid voluiſſe comas ſpinoſo cingere ſerto,
Te iuuat? auratum te, Catharina, decet?

Spina caput lacerat, pulchrum maculatque decorem;
Quis tibi ſpinoſum ferre ſuadet? Amor.
Qualis Amor? Chriſti ſpinis qui cinctus obiuit;
Dulce mihi huic ſimilem viuere, dulce mori.

Beata Clara Virgo.

VMbria me genuit: Claram dixere parentes,
Quod fiat radijs Vmbria Clara meis.

Dioſcorus B. Barbaræ filiæ necem infert.

IN Genitam ſæuit, gladiumque Dioſcorus infert,
Cogit & infenſæ Mortis obire viam.
Non homo tam ſæuus; non eſt tam ſæua Leæna:
Ille eſt, Tartarea peior Erymne, canis.

PLAVSVS FESTIVVS In ſolemnitate B. Firminæ Virg. & Mart. Ameriæ Acta.

Olympio Prætori Manus, & Brachia areſcunt.

CAſtæ Firminæ cum Prætor Olympius audet
Tendere blandiferas ad roſea ora manus:

Arida

Arida correpto ſtupuerunt brachia motu :
I nunc pone tuas, ſæue Cupido, faces.

Per Baptiſmum viuida redduntur.

FIrminæ ad votum ſacris vbi Olympius vndis
Corda piat, veteres depoſuitque lues;
Arida quæ fuerant, feruente Cupidinis igne
Brachia, Virgineos tangere nixa ſinus.
Senſu animata vigent iterum: contrarius ardor
Arida quæ fecit; viuida reddit Aqua.

Megetij Iudicis immanitas.

FIrminæ niueos nudare Megetius artus,
Lacteolumque teri verbere mandat Ebur.
Dira Megera fuit Iudex: crudele fuiſſet;
Sic velle in pratis alba liguſtra teri.

B. Firmina dum colaphis ceditur, Iouis ſimulacrum flatu euertit.

ICtibus vt turbo Firminæ grandinat ora,
Quique fluit vultu ſanguis, vt imber erat;
Sic ita Marmorei Virgo Iouis afflat in ora,
Marmoreumque vides procubuiſſe Iouem.
Aut fuit inter atrox feruentior impetus imbres,
Aut emiſſa ſinu Numinis Aura fuit.

B. Fir-

B. Firmina fuſtibus ceditur.

ICtus ingeminat tortoris dextra frequentes,
Virgineoſque artus fuſte terente quatit.
Virgo tamen firmo conſiſtit pectore; cumque
Fuſtibus horriſonis æſtuat ictus; ait:
Quando flaua teres, maturaque meſſibus ardet,
Sic quatitur, ſegetes vt det Ariſta ſuas.

B. Firmina pugnis, & colaphis ceſa.

CAndidulo in vultu Firminæ Virglnis erat
Ictus liuidulus, ſanguineuſque rubor.
Illa notat nullum truculentum læſa dolorem;
Hæc quod Amoriferæ florida meſſis erat.
Scilicet, & rubor, & liuor; candorque genarum,
Sunt Roſa cum violis, lilia mixta Roſis.

B. Firmina conſtans inter acerba ſupplicia.

IRarum fluctus, nimboſque furentibus inter
Supplicijs, quotquot iactat iniqua manus,
Firmus erat veluti ſcopulus Firminia: quidni,
Conueniant rebus nomina ſæpe ſuis?

Suadet Amerinis non adoranda Marmora.

MArmoreis ſtatuis cum thurea grana cremaret,
Quos coleret vanos Gens Amerina Deos.
O lachrymis quantum Firmina dolebat! & inquit:
Hoc non marmoris, at Numinis obſequium eſt.

Idem Argumentum.

DVm Firmina ſuo certæ documenta ſalutis
Euulgat populo: talia dicta dabat.
Quid colitis lapides, ò Gens Amerina? creauit
Vos Deus: Haud eſtis Deucalionis opus.

A Prætore minæ mortis, & ſibi, & pluribus Ex Miraculo ſalutares.

FIrminæ interitum minitatur Olympſus; inſtat,
Et iam carnificis dira flagella manus.
At manus exaret rapido correpta furóre;
Hinc ſpectatorum corripit oſſa timor.
Ne pereant poſcunt vitali fonte renaſci:
Pluribus & Mortis vita fuere minæ.

Flagellis B. Firminæ artus ceduntur.

VIrga furenter arat cum pectoris arua niualis ;
Exhaurit rorem ſanguineumque ſinu :
Lacteolum videas de rore rubeſcere pectus :
Candida quæ fuerat gemma, pyropus erat.
Sicque liguſtra roſis mutarunt alba colorem ;
Quæ niueæ fuerant, erubuere Roſæ.

B. Firmina per crines cruci affigitur.

VT iubeas Prætor Firminam crine refigi
In cruce ; dic iuſta qua ratione facis ?
An quia ſe Chriſti ſponſam profitetur, & ipſum
E cruce pendentem Numinis inſtar habet ?
Non aliter ſponſo coniungi Sponſa volebat.
Crux ſibi pro thalamo eſt, pro geniale thoro.

Cruci ſuſpenſa facibus aduritur.

SVſpenſa è ligno, panſiſque ligata capillis,
Subiectis flammis inter vtrumque latus :
Firmina ardebat Cęli ſuperare meatus,
Atque Animæ centrum pertinuiſſe ſuæ.
Eia, age flamma foris, intuſque potentius arde,
Dixit, & ad ſuperos tecum age, flamma, Animam.

B. Fir-

B. Firmina cruci affixa flammis aduritur.

DIc age, Virgineis pendentibus arbore membris,
Subijcis omniuoras cur fera dextra faces?
An quia ceu Phœnix flammas renouabitur inter,
Virgo per immenſos non moritura dies?
An quia Virgineos artus deuota Tonanti
Integra ſuccenſo Victima ab igne flagret?

Vulneraſti cor meum in vno crine colli tui. Cant.

Alluſio ad crinem, quo Virg. cruci ſuſpenditur.

CRine Deus, dixit, ſponſæ conſaucior vno
Crinis Amoriferi pectoris ille fuit.
A Cruce dum pendet ſua vulnera pandit Amoris
Mutuus vt ſponſæ vulnera reddat Amor.
Hinc Firmina, reor, gaudet ſe crine refigi
In Cruce, nam Sponſo eſt aſſociata ſuo.

D. Catharinæ Virg. & Martyris Tumulus.

ANgelicis manibus Catharinæ corpus inane
Ad Sinai montis culmina deuehitur.
Mons erat hic ſanctus, ſanctæque hic Virginis eſſe
Defunctæ Tumulus conuenienter erat.

B. Margarita Virgo, & Martyr Flagellis ceditur.

Ad Tyrannum, qui à cæde oculos auertit.

SÆue Tyranne iubes niueos, quid cedier artus
Virginis? & pectus non tibi mite fuit?
Hanc renuunt oculi truculentam cernere cædem,
Quam ſæua ingeminant dira flagella manu.
Humani retinent aliquid ſic lumina ſenſus,
Sed cor obtinuit duritiem lapidis.

Diua Clara comas tondet.

FÆmina vana comas centenis flexibus aptat,
Vt nectat ſtultis aurea vincla procis.
Chriſti ſponſa virum tædas exoſa iugales,
Auricomas reſecat, quas habet illa comas.

Vana poteſt comptis hominem illaqueare capillis
Virgo poteſt tonſis illaqueare Deum.

Diua Thecla à tormentis illæſa.

QVid Leo? quid Tauri, Serpens, Tygris, vnda, quid ignis?
Quid gladius? Theclæ quid nocuere? Nihil.

Ven. Seruus Dei Ioſeph Calaſantius Scholarum Piarum Inſtitutor.

Puer quinquennis enſe diſtricto bellum indicit Stygi.

SI tener in ſtygios dextra Calaſantius Angues
Armata valuit bella mouere Puer:
Ecquis non credat veteres renouarier auſus
Herculis, in Cunis qui fera monſtra terit?
Aſt hæc vana fuit priſcorum fabula vatum:
Quæ nunc vera poteſt dicier Hiſtoria.

Idem in Pauperes Pius.

ANxius in miſeros ſeſe Calaſantius vrget,
Vt leuet aſſiduo munere Pauperiem.

Non eſt mirandum: Pietas vel Matris in Aluo
Illi concreuit: totus & inde Pius.

Eiuſdem Stemma Auitum.

ÆRe grauem fidus geſtat Canis ore Crumenam
Hæc tua ſunt, Ioſeph, ſtemmata clara domus.
Scilicet id ſignant: fidum tete eſſe Miniſtrum,
Qui bene, quæ Domini ſunt, Bona diſtribuis.

Clycerius Landrianus Ioſephi aſſecla Vir obediens.

IGnes exedit monitus: nihil ignis adurit:
Ignis enim cedit vis; vbi feruet Amor.

FINIS.

EPIGRAMMATVM MORALIVM

Liber Tertius.

EMBLEMA

Humanæ felicitatis.

POST riſum luctus: dulci miſcetur amaror:
Ex omni nemo parte beatus erit.
Iuppiter ex Cyatho profert mortalibus vno,
Cũ felle,atq; aloe,Nectar,& Ambroſiam.

Emblema Mutuę Charitatis.

Alter alterius onera portate.

CEruorum producta phalanx, cum fluminis vndas
Tranat, in oppoſitos præteritura ſinus;
Alter in alterius capitis ſua pondera tergo
Alleuat; vt facili tramite vadat aquas.
Diſcite Mortales ad mutua munera vitæ;
Alter vt Alterius pro vicè portet onus.

Emblema
Sordidæ Auaritiæ.

POſtquam potauit cryſtallina flumina Cornix,
Inuida coniecto puluere turbat aquas.
Sic bona ſollicitus quæquæ cumulauit Auarus,
Vſibus vt nullis ſint, ſtudet opprimere.

Emblema
Amatæ Virtutis.

ÆGide Palladia, & Cylleni Perſeus Alis
Gorgonis anguiferum præripit enſe caput:
Nec tamen in lapidem verſus: diſcrimine in ipſo
Immunem Virtus ſeruat amata Virum.

Emblema
Vitij nati, & conſueti.

ÆThiopem lauat; aut laterem, quicumq; laborat
Naturæ, aut Habitus crimina detergere.

Emblemata
Spei fallacis, ac vitæ breuis.

NOn ita deficiens Nix vere tepente liqueſcit,
Non ita langueſcit, ſole oriente, Roſa:
Non ita vaneſcit fumus per inania vento;
Non ita præcipiti flumine currit Aqua:
Vt ſpes fallaces hominum, vitæque fugaces
Diſpereunt, pluſquam Nix, Roſa, Fumus, Aqua.

Emblema.
Aulicæ Ambitionis.

BEllerophon deuectus equo per inane Chymeram
Obtruncat; flammas ne vomat omnicremas:
Quæ morum documenta ferat? quid fabula ſignet?
Accipe: conſilio deperit Ambitio.

Emblema
Mortis inexorabilis.

PRoximus extremæ Mortis tùm præſcius horæ,
Ad vada Meandri concinit albus Olor:
Fortè putat Mortem blando modulamine vocis
Flectere? vt Orpheus mollierat lapides.
Vel duros poterit ſcopulos quis frangere cantu:
Crudelem Mortem flectere nòn poterit.

Emblema
Iuſti Viri.

IVſtorum varijs agitur pia vita procellis:
Sed bona tunc Virtus inclyta facta parit.
Haud aliter capiens cæleſtem Concha liquorem,
Dum parit hæc Gemmas, fluctuat inter Aquas.

Emblema
Reſurrectionis Hominum.

ASſyriæ quondam Phænix auis incola Terræ
Fertur odoratum compoſuiſſe Rogum.
Hoc ſuper impoſitus, totuſque abſumptus in igne
Vertitur in cinerem; mox ſibi vita redit.
Quis neget hinc homines ad vitam poſſe redire?
Si redit ad vitam, qui cinis ales erat?

Emblema
Fraternæ Correctionis.

SVnt homines vno fratres de germine nati,
Conſeruant ramos germina quæque ſuos.
Qui non vult fratrem verbo ſaluare ſalubri,
Arboris ex prauo germine natus erit.

Emblemata
Fructuoſi laboris.

AGricola incuruo Tellurem ſcindit aratro;
Horrea frugiferis meſſibus vt repleat.
Nauta procelloſas findit quoque marmoris vndas;
Vt mercaturis fænora multiplicet:
Intrepidus Miles ſequitur diſcrimina belli;
Promiſſum referat munus vt emeritus.
Diſcite ab exemplis, quàm ſit labor vtilis: affert
Præmia præmiſſus non niſi digna labor.

Emblema
Moderatæ loquelæ.

VT fræno moderatur equus, Clauoque Carina;
Vt pariter plectro fila canora lyræ;
Sic hominem totum moderatur & vnica lingua,
Ne ruat, aut pereat diſſonus eloquio.

Emblema
Diuinæ Iuſtitiæ.

CVr bibit Alcides cæleſtis nectara fontis?
Cur gemini Pollux, ſydera Caſtor habet?

Cur-

Curſurit Acteon laceratus dente Moloſſi ?
Et Niobes durus cur lapis obriguit ?
Iuppiter emeritis vt debita præmia Iuſtus
Diuidit; immeritis ſic quoque ſupplicia.

Emblema Humanæ Vitæ.

CVr mors in vitro ſterilem concludit arenam ?
An quia vitales ſignat Arena vices ?
Ex Hominum vita ſterilem dumtaxat Arenam
Colligere eſt; cum ſit non niſi puluis Homo.

Aliud Emblema Humanæ Vitæ. Mors cum Falce.

PAllida ſemeſis cum Mors vix oſſibus hæres
Armas falcato cur tamen enſe manus ?
Eſt hominum fæno breuior par vita cadenti.
Omne, velut fœnum, demeto falce caput.

Aliud Emblema Vitæ Humanæ.

QVod gerat omniſecam Mortis fera dextera falcē,
Et ſic armatas muniat illa manus:

In

In promptu cauſa eſt: Hominum Caro languida fœnũ,
Quæ breuis arentes deijcit igne comas·
Vnde, velut fœnum, nullo diſcrimine cunctum
Mors metit areſcens, non ſine falce, caput.

Emblema
Rapidæ Mortis; Mors vt Gigas.

ARida ſi Mortis ſpecies vix oſſibus hæret,
Cur rapidis ventis ocyor illa volat?
Illa Gygantæis præcurrit paſſibus Orbem,
Et gyro, complet tempora longa, breui.

Emblema
Noxiæ Voluptatis.

Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. Sap.

DIſcordant luctus ſimul, & conuiuia: Mortem
Luctus habet: Vitam ſplendida menſa fouet.
Cur tamen hæc ſapiens damnat conuiuia Iudex,
Ad mæſtam luctus qui monet ire Domum?
Diſce quid eſt melius: conuiuia ſplendida menſæ
Triſte mori; luctus viuere dulce ferunt.

Emblema
Vitæ fructuoſæ.

Memento Homo, quia cinis es.

PEr cineres fœcunda parens ſua ſemina Tellus
Multiplici reddit fęnore Ruricolis.
Diſcite Mortales occluſi ſymbola ſenſus;
Dum Cinis humano conſeritur capiti.

Emblema

Inanis iactantiæ.

INnumeros laudum tumidus præſumis honores;
Ardua per titulos credis in aſtra vehi.
Icarus æthereas auſus volitare per auras,
Dum ruit, Icarijs nomina fecit aquis.
Fabula Iactator de te dicetur, in vndas
Delapſus ſtygias culmine ab aereo.

Emblema
Caducæ Vitæ.

Extrema gaudij luctus occupat.

QVid vanos iactat plauſus iucunda voluptas?
Et dat feſtiuos Gens phalerata iocos?

Meta

Meta voluptatis luctus, ceù meta diei
Nox: ſerio ſimilis vita reciſa cadit.

Emblema.

Dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulcrum.

LArgifluo repluat quamuis mihi copia Cornu,
Nec deſit quidquid Cræſus habebat opum:
Si fortunatum faciat me plena voluptas;
Et dolor omnis erit ſi procul: inde quid eſt?
Omnia Mors breuians fatali falce recidit;
Et vitæ ſeriem ſola ſepulcra manent.

Emblema.

Voluptas nocentior Armis.

SI quondam Mars arma mouet; mouet arma Lyæus,
O quàm diuerſo vulnere vulnus agunt!
Triſtia Mars vibrat, ſed dulcia tela Lyæus:
Illa tamen leuiùs; ſæuiùs iſta furunt.
Feruor vtrumque vrget; pariter furor vrget vtrumq;
Ille ferit corpus; ſauciat hic animam.

Emblema
Prudentiæ Militaris.

NOn robur Martis, non vim poſcebat Vlyſſes;
Sed ſibi conſilium, docta Minerua, tuum.
Vis etenim ſuperare feras eſt apta feroces;
Conſilium prudens corda Hominum ſuperat.

Emblema
In ira coercenda eſt Lingua.

CVm tumet ira, tuam cura compeſcere linguam;
Ne rapidi fluctus naufraga corda ferant.
Sic inter tumidas clauum moderatur arenas
Nauta; procelloſis ne rapiatur aquis.

Emblema
Vanæ Gloriæ.

QViſquis ab integro producit pectore fructus,
Et ſua frugiferum vita frequentat opus.
Criminibus vacuus, plenus virtutibus ille eſt,
Dignus laudis: abeſt cum ſibi laudis Amor.
Laudis Amor, vulgi celebrandæ plauſibus, inſtar
Intus rodentis germina vermis habet.

Em-

Emblema
In vitijs non procraſtinandum.

QVi tibi longæuas promittis temporis horas,
 Incautus vitijs te dare præcipitem:
Quò ſine mente ruis? quòquò te congeris amens;
 Vnde volens nequeat pes reuocare vias?
Crede mihi; tacito lapſu præteruolat hora;
 Et Mors inuiſa ſtamina falce ſecat.

Emblema
Excelſæ Dignitatis.

E Cœlo tacti feriuntur culmine montes,
 Excelſoſque apices fulmina deijciunt.
Non igitur mirum, ſi qui tolluntur in altum,
 Perculſi aduerſo turbine ſæpe ruant.

Emblema.
Virtus in pulcro corpore.

SI gemmam nitido concludat circulus auro;
 Gemma magis ſolito tunc pretioſa micat.
Haud aliter pulcro concluſa in corpore Virtus,
 Diffundit maius gratior inde decus.

Emblema.

Sordidus Animus in pulcro corpore.

FLaua comis mulier, quas circum intermicat aurũ,
Cui niueum frontis circinat Iris ebur:
Cui Roſa purpureis, immixtaque lilia malis
Dum ludunt, rident blanda coralla labris.
Scintillant oculi gemini, duo ſydera, luces
Aera per ſudum qualia nocte micant.
At cum pars Animi ſordet; proferre neceſſe eſt:
Sic pario ornari marmore buſta ſolent.

Emblema

Vanæ pulchritudinis.

NArciſus liquidis dum ſe ſpeculatur in vndis;
Æſtuat ad ſpeciem captus Amore ſuam.
Nititur ad fontem circum dare brachia formæ
Pronus, & incautus proruit inter aquas.
Lapſus in ima perit, tenueſque euaſit in auras;
Floſculus erubuit, qui fuit ante Puer.
Iactari formam ne quis præſumat inanem;
Sæpe nocet vano forma decora Viro.

Emblema
Humanæ viciſſitudinis.

TEmpora labenti quæ Clepſydra ſignat arena,
Me voluit memorem pulueris eſſe mei.
Aſt vnum ignoro: Maris eſt, anne Amnis arena?
Nam mihi nunc dulcis, nunc & amara fluit.

Emblema
Fictæ Adulationis.

LAudat, commendat, nomenque ad ſydera tollit,
Si cui ſit multis Arca referta bonis:
Non amat hic mendax veros laudator honores;
Sed magis occluſas quærit iniquus opes:
Blanditur Domino, & cauda veſtigia lambit,
Qui canis eſuriens fruſtula panis amat.

Nudus egreſſus ex vtero Matris meæ, & nudus illuc reuertar. Iob.

QVid tibi diues opum nimium laudata ſupellex
Nuda tibi nudus ſi teget oſſa lapis?

Mors, & vita in manibus linguæ.

VNica lingua parit vitam, Mortemqne loquendo:
Diſce loqui: ſi vis viuere, ſiue mori.

Emblema

Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.

STultus ſi cupias ſapientis nomen habere,
Stultitiæ index ne ſit tua lingua, caue.
Sola loquela facit manifeſtum quemque: tacebis:
Et fueris ſapiens, Alter vt Harpocrates.

Emblema

Humanæ viciſſitudinis.

ELigere eſt Hominis, dum currunt tempora vitæ,
Siue frui quis amet; ſiue pati quis amet.
Qui modicum vult dulce frui, poſt inde viciſſim,
Cogitur ille pati; nam bene vulgus ait:
Nubila poſt Phæbum properant; poſt nubila Phæbus:
Has vitæ referunt, ſic quoque fata vices.

Emblema

Linguæ mordacis.

ORe venenato licèt vndique ſibilet Anguis,
Mordaci Zoilus latret & ore canis.
Non te commoueant blaterantis verbera linguæ:
Non feriant aures verba maligna tuas.
Nunquam aliena nocent Homini conuicia: ſi quis
Immunis proprio vixerit à vitio.

Vir Magnus luxum parui pendit.

QVi vult auratis ſpatioſa palatia tectis,
Et famulos, & opes, quidquid & Indus habet;
Vt niteat pictis pretioſa tapetibus Aula,
Et ferat inſolitas menſa ſuperba dapes:
Huic animum magnum vulgus putat eſſe; ſed errat;
Ilicèt hæc animus dona puſillus amat.

Pecuniæ Amatores.

A Pecude erranti dilecta Pecunia nomen
Traxit, & illa homini vilior ante fuit.
Nunc tamen in pretio pleriſque Pecunia fertur:
Tàm facile ad Pecudes degenerant homnes.

Aurum cur palleat.

QVæſitus quondam Cynicus, cur palleat Aurum:
Sic ait, in furum quod timet ire manus.
Aurum vult munus ferri Proſerpina in Orcum,
Qui ſcit, an in ſtygios palleat ire lacus?
Aurum multorum ſæpe eſt quoque cauſa malorum:
Qui ſcit, an inque malam palleat ire crucem?

Pecunia dicta ſecundus ſanguis.

DIcitur eſſe homini congeſta Pecunia ſanguis:
At cum ſit ſpecies pallida, morbus erit.

Diues rerum lactator.

QVid iactare iuuat ſedes, opulente, ſuperbas;
Quid cum delitijs, diuitias, & opes?
Quid bona rura: Greges, pecudeſq; armentaq; multa,
Quæ tibi centeno fœnore paſcit Ager?
Illuſtrant hominem non plurima munera rerum;
Inclyta ſed Virtus, & bene facta probant.

Cæcilianus ſe vulgo oſtentat.

CÆcilianus habes, quæ munera Cræſus habebat,
Antiquum Arcadia nobilitate genus:

Et

Et famulos, & opes, & prędia magna, Domoſque,
Et fortunatum munus Amicitiæ.
Cum tamen hæc vulgò iactas te, diues, habere;
Ingenium nullum Cæcilianus habes.

Calliodorus ſui oſtentator.

CAlliodorus iter peragit comitatus Amicis,
Inſolitoſque Auſus tollit ad aſtra ſuos:
Proſilui metas, inquit, quas calce Gygantis
Nemo valet; poterit teſtis & eſſe Rhodus.
Vnus ait, ſi tanta facis miracula, Amice,
Hic ſalta, hic Rhodus eſt, hic tua facta proba.

Garrulus Iactator.

GArrule ſolus habes meritorum pondera multa,
Diuitias multas, Garrule, ſolus habes.
Garrule ſolus habes diademata, ſceptraque regni,
Et totum Imperium, Garrule, ſolus habes.
Garrule ſolus habes cerebrum, qua ſorte triumphas,
At nihil ingenij, Garrule, ſolus habes.

Locutor Tumidus.

PLena tumore ſonant tua verba, locutor, & inquis,
Quis me non alium credat Ariſtotelem?
Alter, ait; ventus ſic turgidus vtris anhelat;
Sæpeque dat crepitus cum grauiore ſono.

Iactator dati muneris.

REddo tibi grates meritas ex corde libenter:
Quod mihi præſtiteris munera, Blance, tua.
Cum tamen hæc alijs verboſus munera vulgas,
Vt Gallina ouum garrula, perdis opus.

Pauper, & diues.

PAuper corde dolet; Diues quoque mente tumeſcit;
Quod non ſint vna conditione pares.
Siſtite: vtrique pares eritis, non tempore longo:
Æqua falce metet, cum Lybitina caput.

Grammatiſta vinoſus.

PRoijcis ampullas, & ſexquipedalia verba:
Hinc te doctiloquum, Cæciliane, vocas.
Gymnaſiarcha tuis Muſas præeſſe Paleſtris,
Plena voce canis, cum mera vina bibis.
Sed cum Muſarum præſes non adſit Apollo;
Rex tibi pro grato præſide, Bacchus adeſt.

Alphonſus alios ſtultos, ſe ſapientem reputat.

OMnes Helleboro ſocios cum dicit egere;
Nauigat Alphonſus ſolus in Antyciras.

Omnes qui credit ſana non mente valere;
Inſanus cerebro eſt, & ſine mente ſapit.

Miles delicioſus.

DElicioſe Puer, ſequeris qui bella; memento:
Deliciæ, & robur quod malè conueniunt.

Cenſor naſutus mordax.

SÆpe notat mores aliorum Cenſor acerbus,
Qui naſum Arguti Rhinocerotis habet.
Et bene, quæ poſſit corrodere dentibus atris,
Naribus indagat facta aliena Canis.

Luſus in quendam Auarum.

SVb lapide argentum poſitum tumulauit Auarus,
Proximus Agricola eſt, vidit, & eripuit.
Nouit vt ereptum, ſubitò conclamat Auarus,
Et querulis implet vocibus aſtra ſuis.
Pone modum lachrymis, ait Agricola; occulit vrna
Si non argentum: reddita vita ſibi eſt.

Auarus ſtultus.

STultitiæ eſt Hominis; rerum ſi fiat Auarus,
Cum magis indigeat, quo magis auget opes.

Aurum non ab Aura.

AVrò qui credit quòd nomina fecerit Aura,
Non benè cognouit quæ ſit origó notæ.
Aura parit lucem: tenebras ſed parturit aurum:
Namque Aurum lumen mentibus obtenebrat.

Adulator qualis.

AGnus atrox, Mitiſque lupus; Catuluſq; doloſus,
Vulpes pura, tygris blanda; Columba ferox.
Sæua pecus; ſimplex Anguis, fiduſque inimicus;
Infiduſque Comes; pernicioſa Parens.
Humanus Mentis Tortor; placidumque venenum,
Eſt Aſſentator; peſtis, & exitium.

Aula, & Aulici.

INnocuos Virtute tuos vis, Aula, Miniſtros?
Ferueat hìc Virtus, frigeat Ambitio.

Maledicus qualis.

INgenioſa, fauis quæ dulcia mella laborat,
Progenita innocuo de Boue prodit, Apis.
Mula parit fucos; Veſpas producit Aſellus;
Sed vos Cabrones parturit Acer equus.

Dic

Dic, age qui ſemper pungis, nec mella refundis,
Bos tuus eſt Genitor, Mula, Equus, anne Aſinus?

Cometa pulcher, & noxius.

CRinitis fulget ſplendoribus vndique ſydus,
Explicat auratas inter & Aſtra comas.
Stella oculos hominum delectat pulcra tuentum:
Poſt tamen influxu eſt noxia corporibus.
Sic eſt blandiri, placido ceu Scorpius ore;
Et cauda horrenti ſæua venena dare.

Plancus importunus.

IMportunus adit petiturus munera Plancus
Limina, & attritas itque, reditque vias.
Sæpe repulſus abit; foribus ſed rurſus adhæret:
Muſca Importuna eſt, quæ quoque pulſa redit.

Leoninus Æger.

OMnibus accerſis Medicum, Leonine, diebus;
Vt fiat morbo digna medela tuo.
Vina vetat Medicus; ſed vina relinquere non vis;
Sic tibi vina magis, quàm tua vita, placent.

Senex capularis.

CAneſcunt Homini crines, & crura vacillant;
Criſpat ruga genas: pronaquę terga cadunt.
Innixus baculo graditur: quia forte duobus
Non potis eſt pedibus mortis adire viam.

Venator ſui Homicida.

VEnator prædam in ſyluis veſtigat, & vrget:
At iaculo, Ceruum quo ferit, ipſe perit.
Sic iacet extinctus miſerabilis eſca ferarum:
O nouus è miſeris caſibus interitus!

Hiſtrio è Cœlo picto lapſus moritur.

IN picto Mimus ludit proſcænia Cœlo:
At pede collapſo præcipitatus obit.
Pròh vafrum ingenium Mortis! proh caſus iniquus!
E Cœlo cecidit, qui miſer emoritur.

Puer natans Tybri obruitur.

QVi Puer æſtiuos minuit ſuper amne calores,
Incautus rapido vortice merſus obit.
Accurrit mater, lachrymas dolor occupat: Inquit,
Da, Tybris, vt lachrymer, cauſa doloris, aquas.

Cytha-

Cytharædus Tybri mergitur.

EGregio tangit Cytharædus pollice chordas;
Fluminis in medio vortice raptus obit.
Vnda ferox, ſæuoque Mari truculentior omni!
Ira maris cantu flectitur; ipſa furis?

Natator Aquis obruitur.

AEra per liquidum volitans ſe vibrat in amnem,
Qui tumidis lapſus fluctibus obruitur.
Diſcite vos Homines, veſtra conſiſtere terra:
Eſt Aer Auibus; piſcibus vnda locus.

Poeta Moriens Hymnos canit.

CVm luctu lachrymæ, querimonia, mæror, & omnis
Sint procul à tumulo, docte poeta, tuo.
Victurus ſemper meliori parte ſuperſtes,
Concinis ipſe tibi funera dulcis Olor.

Cytharædus Tybri obruitur.

EGregius forma Iuuenis, velut Alter Arion,
Tybridis ad flauas expatiatur aquas;
At rapida obruitur refluentis gurgitis vnda,
Et ſpirat medijs fluctibus ille animam.
Ad Cytharæ ſonitum rabidi Maris ira quieuit,
Et nunc cur placidi fluminis ira tumes?

Puer à vite lapſus moritur.

INnixa eſt vlmo vitis, quæ lenta racemos
Extulit, & patulas luxurioſa comas.
Hùc puer aſcendit, botros lecturus acerbos:
Pampineà innixus compede lapſus obit.
Sòrs malè fida! parit vitis ſi munera vitæ,
Cur puerò mortis triſtia fata dedit?

Armorum Inuentor.

EX ferro docuit quiſquis prior arma parare,
Et ferus, & totus ferreus ille fuit.
Hinc fiunt Hominum cædeſque, neceſq; frequentes,
Hinc breuis, & facilis mortis aperta via eſt.

Perillus inuentor Ænei Tauri.

EX rigido Taurum formauerat ære Perillus;
Clauſus vt ignito mugiat ęre reus.
At reus ille prior candenti includitur ære:
Immane artifici ſic nocet ingenium.

Tullij dictum ad noſtra tempora.

DIxerat, ò mores, ò tempora, Tullius olim,
Exitiale nefas cum Catelina parat.

Nunc

Nunc iterum multæ fraudeſque, dolique parantur,
O mores, ò quę tempora rurſus eunt!

Filiorum pietas in parentes.

MVlciber omniuoras imo de gurgite flammas
Euomit; in morem fluminis ignis abit.
Accurrunt gemini fratres, ſubitoque periclo
Suſtulit hic Matrem; ſuſtulit ille Patrem.
Qui fluit ignis edax diuiſo tramite præſtat
Securam geminis fratribus ire viam.
O Amor, ò Pietas! ſolitum fugat ille timorem;
Inſolitum hæc flammis ingerit obſequium.

Pater impius.

ABreptum Genitor natum ſuccenſus in iras,
Proijcit vndiſonas fluminis inter aquas.
Accurrit Canis, & Puerum ſuſtollit ab vndis:
I Pater, & mores à Cane diſce pios.

Mater Hebræa præ fame Filium edit.

SOllicitat quam dira fames, in fruſtra reſcindit
Infantem; & ſua ſic viſcera Mater edit:
Omnia vincit Amor; veteres cecinere Poetæ:
At nunc dira fames, qua ſuperatur Amor.

Emptor

Emptor equi Monoculi.

EMit equum Plancus præſtanti corpore formę:
Aſt equus à dextro lumine cęcus erat.
Emptor vbi nouit vitium, queriturque, doletque
O ego cęcus, ait, lumine vtroque fui!

Gallus habens inſidiatorem.

PEruigili cantu niſi Solis nunciet ortum
Gallus, ab antiquis victima Martis erat.
Galle tibi inſidias miles de nocte parauit;
A cantu abſtineas, ne pereas, vigila.

Equiti ficta coma vento rapitur.

QVi Bellator equo campis ſeſe arduus infert,
Et flaua, & ficta eſt, quam gerit ille comam.
Cumque volant rapidis ventorum curſibus auræ:
Tunc Coma compoſito è vertice fuſa cadit,
Subrident ſocij adſtantes, ac talia fundunt:
Quàm ſubito nitidam ſubripit aura Comam!
Ille inquit contra, ſocij, compeſcite riſum;
Vt Coma vera perit; ſic Coma vana fugit,

Cæſar

Cæſar Imperator, & Hiſtoriographus.

ET gladius, calamuſque dedit tibi, Cæſar, honores.
Cęſar ad Imperij vectus vtroque iugum.
Sed variant ſortes extremo in funere; Vitam
Eripuit gladius; reſtituit calamus.

Ducis cuiuſdam Argutum dictum.

DVctor vbi validus munitas proruit Arces,
Et profligato Victor ab hoſte redit.
Aurea militibus partitur munera; quanto
Quiſquis virtutis nomine dignus erat.
Interea ad Comites experto credite, dixit,
Sæpe viris Aurum ferrea corda facit.

Podagra Regia.

PAupere deſpecto, cur ſæua Podagra triumphas
Regaleſque manus, & cruciare pedes?
Quod ſit ópus miſeros manibus, pedibuſq; valere:
Regibus at ſanum ſufficit eſſe caput.

Princeps, & Pauper.

VT Pauper manibus valeat:Rex mente neceſſe eſt:
  Imperat hic capite; victitat ille manu.

Nero ſuperbus.

IVppiter altitonans populo cum vellet haberi,
  Ex ſolido cœlum conficit ęre Nero,
Hùc iunctos curru quatientes ęra Iugales
  Exagitat; ſonitus more Tonantis erat.
Euibrat inde faces, accenſi fulminis inſtar,
  Et pluuiæ nimbos, grandinis, atque Niuis.
Taliter eſſe Iouem Altitonantem poſſe videri
  Fallitur: eſt verus, ſed ſine mente, Nero.

Nero crudelis.

SÆuitię monſtrum, populis Nero terror, & horror
  Hic vterum Matris, dum furit, enſe ferit.
Par eſt, ęquales ſceleri perſoluere pœnas:
  Ille vterus pereat, qui fera monſtra parit.

Nero Matricida.

CVm Nero lethali confoſſam vulnere Matrem,
  Seminecem toruo conſpicit ore ſuam.

San-

Sanguineos, ait illa, meo de pectore fontes
Heù bibe, nate ferox, ſit cruor iſte merum.

Nero Romæ Incenſor.

ROma Neroneis incenditur vndique flammis;
Vnaque ſtat populis Vrbs Pyra facta ſuis.
Ad Cytharę cantum ſpectat ſuper ardua Turris,
Iliaco renouans, quas canit igne faces.
I Maro, præripuit Nero palmam: incendia namque
Tu iam facta canis; dum canit iſte facit.

Nero Marmoreus.

MArmore cur duro fiunt ſimulacra Neronis?
Si magis ipſe Nero Marmore durus erat?

Domitianus Muſcarum interfector.

CÆdibus aſſuetus Princeps, cum ſolus in aula eſt,
In Muſcas bellum Domitianus agit.
I nunc Alcides, qui plurima monſtra domabas:
Quot necat hic Muſcas; tot fera monſtra domat.

Iulianus Apoſtata inſtabilis.

EXardent oculi, fluitat caput, os fremit, audax
Frons: ronchat Naſus: triſte ſupercilium.

Vox fera: lingua procax : facies phalerata ; nutantq;
Inſtabili motu brachia, terga, pedes.
O quantum exitium terris Iuliane minantur
Hæc tam multiplici ſigna timenda gradu!
Non ita turbatum nocituro turbine Cœlum,
Sic agit irati fulmina tetra Iouis.

Serenus Tyrannus atrox.

DIceris à placido ſi nomine forte Serenus;
Cur ſic atroci nubibus ore tonas?
At non conueniant cum nomina diſſona rebus,
Nomina crediderim dicta per Antiphraſim.

Diagoras Deorum contemptor.

DIagoras Cynicus luſit contemnere Diuos:
Immo ſibi cultus nec Deus vllus erat.
Herculis ex lingo quondam ſimulacra videndo
Riſit, & illudens hæc quoque dicta dedit:
Alcides da linga focis, quibus eſca coquatur;
Et mihi pro magno Numine cultus eris.

Pharao Superbus.

REx Pharao tumidus quid corde ſuperbis,& audes.
Diſſipat armatas ſi tibi Muſca acies?

Alex-

Alexandri Dario reſponſum.

MAgnus Alexander, qui fortia bella gerebat,
Perſarum regnum iam prope Victor habet.
Victori partem Imperij Rex Perſicus vltrò
Offert pacifica conditione ſui.
Non habet ille, inquit, duo ſoles totus Olympus:
Et capient Reges vnica regna duos?

Cur nunc Virtus rara.

FLoruit innumeris Veterum ſapientibus ætas:
Noſtra poteſt paucos annumerare Viros.
Nunc ſolum applauſu Virtus celebratur inani;
Munera ſed meritis non habet vlla ſuis.
Da Męcenates, aderunt, canit ille, Marones:
Ingenuas artes præmia grata fouent.

Aſtrologus præteritorum.

SYderei curſus præſagia ſacra videre,
Arcanoſque modos dicitur Aſtrologus.
Hic nouus Aſtrologus, quos priſca volumina caſus
Enarrant, tumido conſcius ore canit.
Præſcia venturi Cæleſtibus Aſtra valete:
Exactos caſus iam canit Aſtrologus.

Lyriſtes indoctus.

ÆMulus Orphæo tumidus ſermone Leander
Iactabat doctæ tangere fila lyræ.
Sed malè cum caneret fidibus: lyra flebilis, Auctor
Quis mea tangit, ait, diſſona plectra manu?
Hic ſi contendat fieri nouus æmulus Orpheo,
In caput ille trahat ſaxa reuulſa ſuum.

Plancus puſillus.

MInuta, ac tenui facie, gracilique figura,
Exiguus toto corpore Plancus erat.
Hic tamen ingenti petaſo caput omne tegebat:
Sic magnum patulo ſe putat eſſe foro,
Ingenioſus homo, qui ſupra in vertice creſcens,
Fungorum potuit dicier ex genere.

Paſquilli ſimulacrum maledici.

BRachia,crura,pedes, cōfractaq; membra per artus
Turpia Paſquilli cur ſimulacra gerunt?
Ille loquax, Arguſque virum veſtigat, iniqua
Quæ mala per totum perſtrepat ore forum.
Qui voluit dignas de crimine ſumere pœnas,
Linguam, oculoſque illi debuit eruere.

Iouis ſtatua fracta.

IN Capitolina qui ſtabat Iuppiter arce
Marmoreus: cecidit turbine obactus humi.
Moles tota ruit: franguntur Marmora: inane,
Reſtat, vbi mures incoluere, Caput.
Fingite nunc Vates Iouis ortam à Mente Mineruam:
Naſcuntur Mures cum Iouis in capite.

Caij caput ſimulacro Iouis additum.

DArdana progenies; quæ turpia numina ſunt hæc,
Quæ ſatis indigna Relligione colis?
Noſco humeros, noſco dextram Iouis eſſe Tonantis.
Qua rotat horrenti fulmina tetra manu:
At Caij caput illa gerit: variabile monſtrum!
An caput auulſum cum Ioue Caius habet?

Ad Phœbum votum.

VRimur, heù Titan, tantiſque caloribus ægri
Deficimus: renuit ſpirirus ire vias:
Quadriugos iterum Paheotontem ducere currus
Credimus: heù Titan, vrimur; affer opem.
Tu rege Quadrupedes ſpirantes naribus ignem.
Ne nos præcipites flammeus ardor agat,

Phœbus voto annuit.

AD Phœbum Vates vix verba precantia fudit,
Cum ſubito prona ſuſcipit aure preces.
Et placidas Zephyris reddit ſpirantibus auras,
Laxaque præpetibus fræna retraxit equis.
Non eſt mirandum Phœbum exaudire Poetas,
Ille Poetarum dicitur eſſe Pater.

Tempeſtas in Auguſto.

FVlgurat vmbriferis obductus ab imbribus æther,
Aſtraque multiplici tetra fragore tonant.
Diſrumpunt celſas reſonantia fulmina turres,
Mixtaque cum dura grandine lympha ruit.
Tempus erat, quo Stella Leo cedebat ab Axe:
Ille rugit; flammas euomit: atque furit.

Fons acidus ad Tybrim.

HIc vbi flauenti Tybris præterfluit vnda,
Ex acido manat fonte ſalubris Aqua:
Hùc morbis vexata ſuis captura medelam
Turba ruit, poto ſana liquore redit.
Plura quid Hippocratis medicamina quæritis? Vna
Mille malis prodeſt iſta ſalubris Aqua.

Diogenes exul.

DVm patrijs Cynicus depellitur exul ab oris,
Ad ſocios flentes talia lætus ait.
Ne flete anguſtis pulſum me mœnibus vrbis:
Sic mihi poſt Orbis Patria totus erit.

Nemo ſapiens in Patria acceptus.

SI Nemo in Patria ſapiens acceptus habetur:
Non Amor in cauſa eſt: aſt populi Inuidia.
Fædera ſanxit Amor: ſed & inuida, & Inſcia turba
Non bene conueniunt cum ſapiente Viro.

Bonapars alumnus æger.

ADſis Phæbe tuo Medicinæ, & carminis auctor
Ægroto Vati protinus affer opem.
Triſtis luctus habet noſtros; merorque ſodales.
Quod ſibi tam ſubito Pars Bona deficiat.

Albanus Alumnus redit in Patriam.

ALbanus Patriam repetit; concede ſecundas
Phœbe vias, & equis contrahe fræna tuis.
Emeritus Miles caſtris abit integer; inter
Aonidumque chorum dignus Alumnus erat.

Vua ad viuum expreſſa.

EXprimitur tabulis ita cònditus arte racemus,
Vt ſic eluſæ decipiantur Aues,
Quis neget egregia Naturam vincier arte;
Si viuas potuit fallere Pictor Aues?

Pythagoræ Effigies.

PYthagoram viua cùm Pictor finxerit arte;
Cur tamen ad vitam ſola loquela deeſt?
An quia Pythagoras ſeruanda ſilentia iuſſit,
Et nunc exemplo, quod docet, ille probat?

Auis dulce canentis Tumulus.

DVlce canebat Auis: cantu mulcebat & Auras;
Dulcabat que tuum, feſſe viator, iter.
Orpheos in Syluis iram rabiemque ferarum
Æmula placabat gutture dulci ſono.
Hanc Lacheſis rapiens inquit ſic dulcè canendo,
Qui ſcit an & Manes leniat illa meos?

Iuuenes ex duello Amici.

AVdentes iuuenes parili certare duello,
Contendunt glad io quiſque ferire ſuo.

Oblu.

Obluctant punctim, cæſim; ſed vulnera nemo
  Aduerſum figit pectus in alterius.
O uis Virtutis mirabilis! arma remittunt,
  Æternumque parant fædus amicitiæ.

Vir bonus vbique tutus, ac lætus.

INteger eſt vitæ, ſceleris qui purus & omnis,
  Tutus vbique manet; nullaque damna timet.
Non illum terrent occluſa per æquora ſyrtes;
  Africa non terrent, quæ fera monſtra parit.
Illum pone plagis, quas Phæbus feruidus vrit,
  Aut vbi perpetuis nubibus aſtra rigent.
Æſtiuos interque gradus, interque niuales
  Semper erit tutus, ſemper & exhilaris.

Aman Inſidiator.

INſidioſus Aman; & fraude; doloque ſuperbus
  Iudæum laqueo vult periſſe ſenem:
At perit infelix laqueo ſuſpenſus eodem;
  Eſt faba in illius nempè recuſa caput.

Amatoriæ litteræ igni traduntur.

NVncia miſſa venit ſcelerati littera Amoris,
  Tradit quàm rapido caſta Puella foco.
Reddere Vulcano, quid quid Venus improba mittis,
  Debuit Vxori caſta Puella tuo.

Vxor M. Antonij mortui Ciceronis Linguam acu pungit.

COniugis illa tui pupugit ſcelus æmula verbis,
Quam linguam tenui fæmina; pungis acu.
Improba ſed quid agis? curari vulnera credis?
Si quæ fecerunt vulnera, membra feris?

Cœcus, & Claudus.

COEco Claudus opem, Claudo dat Cœcus; iterq;
Ambulat hic pedibus; dirigit ille oculis.

Victima grata Deo.

VIctima non placat, nec munera Numinis iram;
Si cor non mite eſt, mens bona, pura manus.

Cor peccans igne puniendum.

QVi patrat culpas, debet quoque ſoluere pœnas;
Non eſt damnandus qui mala nulla facit.
Cor mihi tu peccas: mihi cor damnaberis igne:
At Diuine tuus ſit, precor, ignis Amor.

Ieiunium verum quale.

NOn benè ieiunat ventri qui denegat eſcam;
Noxia ſi vitium mentibus eſca fouet:
Qui bene ieiunat ventrem, mentemque refrænat:
Abſtinet hic vitijs; abſtinet hic epulis.

Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiã cum ſenuerit non recedet ab ea.

DIſce Puer primos vitæ componere greſſus,
Vt rectum valeas pergere ſemper iter.
Si quis fortè viam vitiorum pronus inibit,
Claudicat ille Puer: claudicat ille ſenex.

Beatorum patria.

ESt locus in Cœlis, vbi gaudia vera perennant:
Patria Diuorum, dictus & Empyreus.
Omnibus ille malis vacuus, plenuſque bonorum,
Nec labor vllus adeſt, & dolor omnis abeſt.
Eſt animis ibi caſtus Amor, dulciſuè voluptas:
Eſt ibi vera quies, & ſine nocte dies.

Damnatorum Carcer.

ESt locus infernis, vbi dura flagella perennant,
Hic Damnatorum Patria, Carcer erit.

Omni-

Omnibus ille bonis vacuus : plenuſque malorum ;
Nec dolor vllus abeſt ; & labor omnis adeſt .
Eſt animis ibi liuor atrox , ac triſtis Amaror ,
Eſt ibi nulla dies , & ſine pace quies .

Arcta eſt via quæ ducit ad vitam . Lata quæ ducit ad perditionem .

EST via cæleſtes tendens ad Syderis auras ;
Tollitur , & rigido condita vepre riget .
Eſt via Tartareas preceps Phlegetontis ad vndas ,
Labitur , & pulcro condita flore viget .
Hinc facilis , pronuſque datur deſcenſus Auerno ;
Arduus aſcenſus , difficiliſque Polo .

Templum Vaticanum .

HOſpes ſiſte gradus : Romanam ſuſpice molem ,
Videris in toto pulcrius orbe nihil .
Gens Epheſina ſuum Templum mirata ſuperbum eſt ;
In Vaticano monte reſurgit opus .
Templum, Auguſtum, ingens miracula continet artis,
Dædaleoſque ſuos prædicat Artifices .

Roma Sancta .

INdia quid iactas Aurum ? quid Thura Sabæe ?
Muneribus non eſt inuida Roma tuis .

Thu-

Thure, auroque coli ſacris dignantur in aris;
Quos facit Heroes Roma ſacrata Deos.

Roma D. Pietro ſubdita.

SVbdita Cæſareo iuſſu dum Roma triumphat.
Diuiſum Imperium cum Ioue Roma gerit;
Aſt vbi Clauigeri ſacra dogmtata Roma ſecuta eſt,
Coniunctum imperium cum Ioue Roma gerit.

Romani à Romulo.

ROmulidum genus eſſe ferox; mirabile non eſt:
Vbera ſi ſuxit Romulus atra Lupæ.

Tuſculum Amænum.

QVid Tempe veterum Theſſala quæritis?
Floret delicijs Tuſculum in omnibus.

Virtutis Species.

PVlchra nitet radijs depicta coloribus Iris:
Pulcraque per tenebras candida Luna micat:
Aureus ipſe ſuo radiat ſol lumine pulcher:
Stellifero rutilat pulcher & igne Polus.
Vna ſed eſt Virtus mage pulchrior Iride, Luna,
Sole, Polo: nulla eſt forma decora magis.

Pro

Pro Diſticho oblato munus relatum.

PRo breue verſiculo Muſis ſtudioſus Alumnus
O quam multiplici fœnore dona refers!
Lipſana Sancta Crucis, Crux flauo efficta metallo,
Hęc tibi pro tenui carmine munus erat.
Flacce, tuus ſileat Mecænas: præmia nunquam
Tam tibi munifica contulit ille manu.

Hiſtoricus auarus.

BEllus es Hiſtoricus, dum bellica geſta recenſes,
Dumque Viros laudas, Bellus es Hiſtoricus.
Nominis at cogit cum te diuendere famam
Auri ſacra fames: quid canet Hiſtoria?

Claudus mendicus repente diues.

CLaudicat, inque vijs mendicat pauper egenus,
Qui vix ad victum fruſtula panis habet.
Hic ſubito caſu euadit ditiſſimus Auro,
Et nouus eſt Cræſus, qui prius Irus erat.

Ad Priſcum alumnum.

SI vis optatis Muſarum accumbere Menſis,
Et mentem ſtudijs paſcere, Priſce, tuam.

Ne

Ne nimium ventrem Bacchuſque,Cereſque ſaginet;
Nam vacuam mentem venter opimus habet.

Vulcanus Cęlo expulſus.

FOrma decora viros quoſdam deuexit in aſtra,
Cœlituum ſocios inſeruitque Choris.
At ſua Vulcano deformis forma parauit
De Cœlo lapſum, claudicat vnde Senex.
Mirandum tamen eſt cecidiſſe ex ætheris arce,
Læſaque vel leuitèr nil niſi crura pati.

Galli varius exitus.

SI quondam Gallus Solis dormitat in ortu,
Victima Mauortis præmia Mortis habet:
Si vigilans cantu ſolis præcurrit & ortum,
Gens Sybaris Gallum pellit in exilium:
O Galli fortuna ferox, & ſortis iniquæ!
Dormitanter obit, ſed vigilanter abit.

Aurum D. Nicolaus Virginibus largitur.

PVrius in terris nihil eſt, quod ſplendeat Auro,
Lilia ſed nigrat ſæpe Pudicitiæ.
Virgineum florem quod nunc præſtantius ornet,
Non mirum; ſacræ contribuere manus.

Ad

Ad Amicum Efflagitantem Sacram Imaginem, quæ Vulgo dicitur la Patientia del Carmine.

DVm tua feſtinat cupidis Patientia Votis;
Vt tibi promiſſum prętet amica fides;
Conſtantes animo variat Patientia mores,
Dumque moras tollit, verſa cupido fuit.
Quò tua maiori creſcat Patientia laude,
Fallere qui neſcit, dona retardat Amor,
Cum tamen impatiens tardas Patientia neſcit
Ferre moras, verſo nomine laude caret:
Nam patiens laudata moras Patientia gaudet,
Atque ita conſequitur tempore quidquid amat.

Homo puluis, & vmbra.

ORbem dũ luſtrat cur in vmbra, & puluere pingit
Sol homines? Homines puluis, & vmbra ſumus.

Fortuna amens, & cæca.

QVis, Fortuna, neget te mente, & lumine captã?
Qui ſequitur, refugis, qui refugit, ſequeris.

Auri fames inſatiabilis.

ERras qui reputas hominem ſatiarier Auro:
Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur Aquæ.

Archimedes in expugnatione Syracuſarum.

BEllica dum patrios euertit machina muros;
Perque domos victrix gens inimica ruit.
Mente Syracuſius, radioque intentus Olympo,
Non timet, aut audit bellica ſigna Senex.
Captiuam feciſti Vrbem, Marcelle, triumpha:
Sed liber volitat mente per aſtra Senex.

Dionyſij Syracuſani lepidum furtum.

DVm medio ſub ſole videt Dionyſius auream
In clamide ætherei ſigna verenda Iouis;
Ingrata, dixit, quis texit veſte Tonantem,
Quaque gelu friget, quaque calore flagrat?
Hanc auferte citi, noſtram ſuperaddite: poſt hac
Neſciat æſtatem, neſciat ille hyemem.
O Pietas ingrata Ioui, quæ pallia mutat,
Contegat vt nudam Regis Auaritiem!

Diogenis dictum ad Alexandrum.

MAgnus Alexander Cynico cum detulit aurum;
Hic olli ridens talia dicta refert:
Auratam Solis lucem mihi detrahis vmbra,
Et me vis auro luxuriare tuo?
Eminùs hinc abeas, totum mihi redde quod auſers,
Et ſolum ſapiens te mage diues ero.

Reſponſio ad Cynici dictum.

DOlium inane habitat Cynicus de more canino,
Et face Phæbea frigida membra fouet.
Adſtat Alexander, proles generoſa Philippi,
Præſtet vt obſequij regia ſigna ſui.
Ille ſed aſpectu, dixit, te ſubtrahe noſtro:
Ne parias vmbram, ne mihi conde diem.
Quid blateras Cynice? hic Rex Sole eſt clarior ipſo;
Hic tibi dat lucem; non parit hic tenebras.

Lycurgus iubet vites obtruncari.

ARdua qui nimiùm populis das Iura Lycurge,
Cur ſapiens vitis germina vis terere?
Si Baccho comites ſociari fœdere Nymphas
Iuſſeris, humanum feceris ingenium.

Sci-

Scipio victor, & exul.

SCipio Bellator Romanæ gloria Gentis,
Quæ tua pro meritis præmia digna refers?
Euerſa Victor Carthaginis Vrbe triumphas:
Seruata Patria pelleris Exilio.

Eques, & equus veneno Enecti.

MIles vectus equo Serpentem traijcit enſe;
Protinus at virus ſerpit in arma nocens;
Miles, equuſque necē ſubeunt; proh perfidus anguis,
Qui viuis præbes mortuus interitum!

Emblema

Pluto Theſauris præfectus.

TArtarei Pluto ſæuus regnator Auerni,
Occluſis opibus, diuitijſque præeſt.
Sed quid eum claudum docti finxere Poetæ,
Atque alas humeris appoſuere leues?
Vt pede diuitiæ claudo venere morantes;
Sic celeres penna præpete diffugiunt.

EPIGRAMMATVM HEROICORVM

Liber Quartus.

VRBANVS VIII. Summ. Pont.

Cuius Stemma Apes.

VRbanus,qui,Roma, tuas moderatur habenas
Imperij, mira qua ratione regit?
Ille bonis,ceù dulcis Apis,fert mellea dona,
Ille malos arcet cuſpide fortis Apis.
O tua ſic ſemper moderari regna videres:
Hoc foret à digno Principe, Roma, regi.

Magni Ducis Hetruriæ Stemma.

IAm ſileat Regem Maurorum fama ſuperſtes,
Orbem qui valido tergore rexit Athlas.
Multiplices Orbes, circùm quos lilia vernant,
Thyrrenum Princeps Maior Ahlante regat.

Leopoldus Hetruriæ Princeps.

O Quem te memorem Princeps Leopolde? Leonis,
Sæuitie poſita, cætera dignus habes.
Magnanimus, Pius, Innocuus, Defenſor honeſti,
Patria te qualem Tuſcia terra colit.
O te Regnantem ſic Orbis, vt optat, haberet:
Tam Clemens faceret Regna beata Leo.

Venetæ Reipublicæ Stemma.

CVr Leo Magnanimus Venetis Regnator in vndis
Signa gerit Pacis, donaque Pacis amat?
An quia nunc rerum Dominus, Dominator aquarum
Non habet hoſtiles, quos premat vngue, reos?
Parcere ſubiectis, & debellare rebelles,
Hic Leo Magnanimus nouit vtrumque dare.

LVDOVICVS XIII. Galliarum Rex obit die Dominicæ Aſcenſionis.

GAllia laurigeros Ludouici Regis honores,
Hoſtibus edomitis, Iò triumphe canit.
Conaturque pari meritis præconia plauſu
Reddere: Maioris dignus honoris erat.
Vt dignos habeat plauſus; cœleſte Theatrum,
Plauſibus inuumeris cum tonat omne, petit.

Scipionis ex Comitibus Helcijs Archiepiſ. Piſani.

Stemma Gentilitium.

BEllatrix Aquila Altitonanti fulmina quondam
  Vnguibus armatis ſuppeditata Ioui.
Mox pro fulminibus flauas deportat ariſtas,
  Quæ noua tranquillæ munera pacis habent.
Vltori triſtata ſuo ſeruire Tonanti,
  Munificum reperit grata Miniſtra Iouem.

Idem Argumentum.

BElligera armato volucrum Regina ferebat
  Fulminis horriſoni tela triſulca pede.
Aſt poſtquam victrix disiecta Claſſe Gygantum,
  Quid ſibi pacificos armat ariſta pedes?
Scilicet Illa domus Domini fidiſſima cuſtos,
  Mox etiam fidum paſcit Amica Gregem.

Sereniſs. Thomas Princeps Sabaudiæ obſidione Orbitellium vrget.

QVis te laudis Amor tam duros ferre labores
  Vrget, vt æſtiuas ſic patiare faces?
Cog.s in arma viros, peditesque, equiteſque fatigas,
  Vt paruo capias, qui iacet orbe, locum:

Aſt

Aſt age Romani ſpes eſt hic maxima Regni:
Ingens in paruo eſt Orbis in Orbe ſitus.

PLAVSVS FESTIVVS
Eminentiſs. Alexandro Cardinali Cæſarino.

Stemma Gentilitium.

ESt alijs Aquila, Vrſa alijs, alijſque Columna:
Pro ſigno, eſt alijs ſola Catena datum.
Regales, fortes, ſtabiles, Aquila, Vrſa, Columna,
Firma poteſtatis iura Catena ferunt.
Hæc Aquila, hæc Vrſa, hæc expreſſa Colũna, Catena,
Cæſaridum in veteri Stemmate cuncta manent.
Diſiunctos titulos aliorum ſymbola monſtrant;
Omnes Cæſaridum quos habet vna Domus.

Idem Argumentum.

AVrea ſerta gerit redimito vertice, quæ nunc
Cæſaridum poſito fulmine regnat Auis.
An quia departa fruitur ſibi Pace triumphi,
Cum vigil hoſtiles vinculat ære feras?
At quid marmoreæ ſolio ſubnixa Columnæ,
Pernices alas pandit in Aſtra ſuas?
An quia Cæleſtes poſcit generoſa decores;
Hic nec habet meritis par decus illa ſuis?

Idem Argumentum.

QVæ ſuper excelſo Regalis Stemmate, Princeps,
Marmoreo reſidens culmine regnat Auis:
Hæc Iouis in ſceptro quondam ſubnixa potenti
Cum Regno fertur ſuſtinuiſſe Iouem.
Hæc veri nunc Regna Dei cultumque, fidemque
Fortiùs in ſolido marmore nixa regit.

Idem Argumentum.

SI quondam dedit arma Ioui, cum pugnat in hoſtes,
Cur nunc Cæſaridum regnat inermis Auis?
Dedidicit fortaſſe ſuos generoſa triumphos?
Et fugit armatis vnguibus arma dare?
Iam victrix hoſtem compreſſerat, atque Columnæ
Marmoreæ arctauit, ne furat, ære ligat.
Sic victà, & vincta hoſtili feritate, timorem
Non habet, eiecto fulmine, tuta manet.

Idem Argumentum.

FVlmina ſi Cælum minitetur: nubila nimbos;
Præcipitans ventus ſibila anhelus agat.
Irruat hoſtilis quamuis furor impius ædes:
Non paueat motus vndique tuta Domus.
Cuius tecta ſuper pandit Iouis armiger alas;
Firma Columna regit; munit & Vrſa fores.

FE-

FESTIVVS PLAVSVS Laurentio Caſtrucio Epiſcopo Spoletano.

Stemma Gentilitium.

SYmbola virtutis redolentis Stemma figurat;
 Quatuor inſerpit cui rubra Zona Roſas.
Quatuor in partes Virtus præciſa coruſcat.
 Purpureaſque refert pulcra decore Roſas.
Actio ceu Zona eſt, partes connectit eaſdem:
 Quis non Virtutis nobile Stemma putet?

Idem Argumentum.

FAſcia, Zona, Roſæ, quas regia Purpura veſtit,
 Hæc Maieſtatis ſymbola quæque ferunt.
Faſcia Rubra Ducum fuerat data gloria: quondam
 Iura Poteſtatis punica Zona facit.
Et Roſa Principibus decus eſt: ter ampla decorem
 Multiplicata ferunt faſcia, Zona, Roſæ.

Idem Argumentum.

VErnanti antiquum, qua nobile ſtemma coruſcat,
 Purpurat ingenito cur ſine vepre Roſa?

An

An præciſa licèt patrio de ſente perennat
Röſcida puniceis intemerata comis?
Crediderim innocuam primæuo à tempore natam,
Cum non armabat noxia ſpina Roſam.

Idem Argumentum.

PVrpureis rutilare comis dixere; cruore
Idalio intinctas, vindice vepre, Roſas.
Aſt ego cæleſtem video ſine ſente nitorem
Reddere per ternas nobile ſtemma Roſas.
Quis ſcit an Auroram, roſeó quæ flore coruſcat,
Cælitùs innocuas haſce dediſſe Roſas?

Idem Argumentum.

STemmate pro veteri Heroum Laurentius effert
Puniceas patria nobilitate Roſas.
Quid Roſa cum Lauro? viuit ſua ſæcula Laurus,
Sortitur ſolidum vix Roſa nata diem:
Sed Roſa cum Lauro viuet quoque ſæcula: Laurus
Æternum præſtat viuere iuncta Roſis.

Idem Argumentum.

QVæ tibi Caſtruciæ Gentis Roſa purpurat orbem,
Quæ circum ſerpit flammea Zona globum:

Quæ

Quæ pariter decorat patrium rubra faſcia ſignum;
O quantæ laudis ſunt monumenta tuæ!
Singula Principibus Roſa, faſcia, Zona fuere
Prœmia Virtutis, quæ ſimul vnus habes.

Idem Argumentum.

NOſcere quiſquis amas quòquò Roſa ſera motetur;
Inſpice grandæuis nobile ſtemma Roſis.
Hæ cum porpureæ, virideſque in ſæcula viuant:
Non niſi Cæleſtis germinat Elyſius.

Idem Argumentum.

CVr Roſa, quam tenui folio perijſſe videmus,
In tàm longæuas vixit odora dies?
Hanc, reor, irrorans afflauit Cælitùs aura,
Non Venus intinxit ſanguine vana ſuo.

Idem Argumentum.

FAſcia, Zona, Roſæ ſunt, ſingula ſymbola honoris:
Singula ſunt veteris nobilitatis honor.
Faſcia, Zona, Roſæ ſic vno in ſtemmate fulgent,
Vt ſint multiplici laudis honore Notæ.

Car-

Cardinalis à Florenzola Stemma Gentilitium.

QVid Leo magnanimus ſyluis dominator in altis
Blandicomam geſtat lenis in vngue Roſam?
Maieſtatis habet Leo regia ſymbola, Princeps,
Vt Roſa Blandiferi ſymbola amoris habet.
An quia concordes, & in vna ſede morantes
Maieſtas, & Amor ſic bene conueniunt?

Idem Argumentum.

QVid Leo, quid Roſa quid tandem tria Lilia Princeps.
In Patrio præſtant ſtemmate ſigna tuo?
An Leo, ſicut Apis, florentia germina poſcit,
Vt mel de forti dulciùs ore fluat?
At reor antiquæ renouari ſymbo la ſortis,
Mellificat per Apes cum tuus iſte Leo.

Idem Argumentum.

SI maieſtatem redemitus fronte decorat,
Quid Leo blandicomam porrigit vngue Roſam?
Et quid Cæruleo præciſi ſtemmatis orbe
Deſuper efflorent: Lilia terna caput?
Maieſtas placido tam ſpirat amabilis ore:
Plaudat vt in Vernis Floribus iſte Leo:

Ladiſlai IV. Poloniæ Regis, Caſimirus Filius ſolemni die Palmarum naſcitur.

DEtulit illa dies vitales luminis auras,
A Palmis ſacrum, quæ ſibi nomen habet.
O Rex Magne, tuæ ſunt hæc præſagia Proli,
Quæ faciunt fauſtis tempora ſyderibus.
Inter enim feſtum Palmarum naſcitur Infans,
Longa cui felix vita triumphus erit.

Regis Poloniæ in Stemmate Aquila.

SArmatico è Regno, quæ Lunas impetit vltro
Regina Alituum, barbare Thrace, tuas;
Inconcuſſa oculis Solem ſolet illa tueri:
Pallentes Lunæ non timet ad radios.

Franciſcus de Magnis Comes, Regis Polonię Orator ad Principes contra Turcas Stemma Gentilitium.

MAgne Comes, volucer, qui fulminis arma miniſtrat,
Inuictæ dextræ num dedit arma tuæ?

Mu-

Mucronem, fama eſt, dextræ rapuiſſe minaci,
Victima cum Virgo danda Lacæna foret.
Credibile eſt retuliſſe tuæ, cum perfidus hoſtis
Mactandus iuſto eſt Barbarus interitu.

Idem Argumentum.

QVæ munita manus nudatum ſuſtinet enſem,
Illa tibi duplex denotat Imperium.
Prælia Martis agis Thraces pugnator in hoſtes;
Exerces iuſtum Principis officium.

Idem Argumentum.

MAgne Comes Franciſce tuam quid regius Ales
Belliger armatam circuit enſe manum?
Ante Gygantæos cum pungat Iupiter auſus;
Adfluit Inuicto Fulmiger ille Ioui.
Thracibus infidis per te noua bella parantur.
Quis ſcit an inuictum te putet ille Iouem?

Fran-

Franciſcus Comes de Magnis, & Legatus Regis Poloniæ.

Anagramma.

Gens coge ſocios, in feros Turcas: Pallas me Ægide munit.

Epigramma.

EXcitaC immerijs, & debacchata per orbem,
Monſtra furunt: Populis Thracia bella mouent;
Nũc pia GENS SOCIOS in prælia COGE Maniplos.
Nunc animoſa tuum fortius agmen age:
ME fouet, & MVNIT Bellatrix ÆGIDE PALLAS.
Aegidis aſpectu territa monſtra cadunt.

Ioannes Nardius Medicus ſcripſit de Rore, & Manna Florentiæ.

NArdus odora nouos rorat de flore liquores,
Quales melliferos nec dare poſſit apis.
Ros, & Manna fluit, quæ cælitùs aura ſerena
Dippluit; illucet cum ſine nube dies.
Talia dona refers, noua munera Nardius; ecquis
Iam te Cæleſtem non putet eſſe virum?

Idem Argumentum.

IRis odorifera vernat radice, medentum
 Gratum opus, inſtillat quæ quaſi manna malis:
Æmula Cæleſtis radiat quoque diſcolor Iris,
 Grata ſalutifero munera rore parit.
Nardius alterutrum velut Iris, munus adæquat;
 Tam bene qui rorem, quam bene manna refert.

Bernardini Manzonij Piſis Sacræ Fidei Quæſtoris Stemma Gentilitium.

CVltor agri Bos cur te circum Lilia florent;
 Quem mage Ruricolam pinguis ariſta iuuat?
Abdita ſignari credam tua ſymbola fortis,
 Quam ſacer à ſancto munere Quæſtor habes:
Innocuum eſt animal, ſimplex ſine fraude, doloque;
 Sunt fidei intactæ Lilia ſigna tuæ.

Pauli Burgheſij iunioris Principis Obitus.

BVrgheſiæ Gentis ſoboles, ſpes ſanguinis vna,
 Paulus adhuc viridi flore reciſus obit:
Inuida Flora fuit quod pulcro à germine vinci
 Vel Poſſent flores, quos parit ipſa ſuos.

Cre-

Crediderim Parcas humili ſic voce rogaſſe :
Demite iam Florem, qui præit ante meos.

Franciſci Caſtilionis Marchionis Inſulæ Funus Mediolani celebratum.

Epithaphium.

QVis iacet in tumolo? Princeps Mauortis Alūnus
Acer, vt ille ſequax Caſtalidumque Chori.
Quem parili cultu decorabat ſpiritus ardens,
Et mite ingenuis artibus ingenium.
Hic grauis, & prudens, & fortis, Amator honeſti,
Cui Pietas cordi non aliena fuit.
Nobilis Inſubrum, Patrię Flos; Gloria Gentis
Et veteris Generis Caſtilionis honor.
Huic Domino celebri fuit Inſula ſubdita Tellus,
Preſſa dolore diu quo moriente gemit.
Hunc tamen Heroem rapuit Mors; Improba quid ſic?
Non aliter poterat viuere perpetuus.

Idem Argumentum.

NOn nomen, non quo genitus: non vnde: quid egit,
Pręclaro reddit funere perpetuum.
Illuſtri de ſtirpe ſatus fuit Inſuber Heros,
Qui parua tegitur Caſtilionus humo.
Quæ tamen ęgregijs factis eſt fama ſuperſtes,
Immenſum ſpatium non ſatis orbis habet.

S I nunc;

I nunc; I Lacheſis, Mortem ſi Heroibus infers,
Hi viuunt fama tempus in omne ſua.

Idem Argumentum.

CAſtilione genus; Franciſcus nomine; geſtis
Notus in Inſubria, notus in Heſperia.
Ingenio clarus: clarus victricibus armis:
Vt genere egregius; ſic genio ingenuus.
Me Mors eripuit: tamen hinc ad ſydera notus
Euheor: i Lector ſic pete poſſe mori.

Theodoræ Colaltiæ Marchioniſſæ Franciſci Coniugis funus celebratum.

Epithaphium.

QVis iacet hoc tumulo? Theodora Colaltia, Gente
Nobilis, inſigni Prole beata Parens.
Caſtilionis erat Domini fidiſſima Coniux:
Dotibus egregijs digna Virago ſuis:
Cur non flexit adhuc virtus tam pulcra Sodales?
Nec mota eſt tantis mors male fida bonis?
Non flexit nec mota: virens nihil obſtitit ætas,
Quin defalcato demetat enſe caput.
Heu facinus lacrimis dignum! quis temperet? & quis
Non ſæuam mortem, ſacrilegamque vocet?

Aſt Atropos ſeſe excuſat: Theodora Deorum
Munus erat: reddi debuit illa Deis.

Idem Argumentum.

MAtronæ funus dum nos celebramus honeſtæ,
Quiſquis ades menti condita dicta refer.
Hoc tumulo Theodora iacet de gente Colalti,
Fida ſui coniux Caſtilionis erat.
Septem pulcra ſuis præſtanti corpore Natis
Inſignis multa cum Pietate parens.
Grata fuit cunctis ob tàm præſtantia dona,
Digna etiam luſtris viuere perpetuis:
Attamen omne caput mors importuna recidit;
Non timet illa homines, non timet illa Deos.

Idem Argumentum.

QVæ Theodora tibi clauſerunt lumina vitæ:
Hęc bona nùnc dici, nùnc mala fata licet.
Sunt mala, quæ nobis pignus rapuere decoris;
Sunt bona, quæ ſuperis reſtituere Deis.

Idem Argumentum.

HEù dolor! heù lacrimæ! damus hinc ex corde querelas.
Cum, Theodora, tuum Mors rapit atra decus:

Crudelem mortem, crudelem dicimus omnes,
Quæ tàm pulcrum eſt auſa ferire caput.
Aſt illa excuſat crudelia facta; quod illud
E Cœlo rapuiſti Theodora decus.

Idem Argumentum.

HIc Theodora iacet: poterat Pandora vocari,
Munera ſi ſpectes, quæ tribuere Dij.
Qua tamen, Heù dolor! heù rapuit mors; cõdidit vrna:
At fama, & pulcra prole ſuperſtes erit.

Legis Periti cuiuſdam Tumulus.

HIc iacet egregius Iuris, Legumque Magiſter,
Qui nouit lites toto agitare foro.
Aſt vnam ignorat; proh vana peritia! litem
Quam ſibi de vita Mors maleſida mouet.

Gaſparis Leontini Senis Venerabi lis. Tumulus.

HIc centum ſupra viginti exegerat annos,
Qui plures etiam viuere dignus erat.
Simplex corde; potens ſermone; Intacta ſepulcro,
Vt tulit è Matris corpore membra dedit.
Siſte viator, amas intactos reddere Mores?
Iugiter hoc verſa Mente: Memento mori!

Ado-

Adoleſcentis Alumni Funus.

QVæ tibi tam velox florentes detrahit annos,
Non caret inuidiæ crimine Nigra ſoror.
Inuidit nobis carum ſupereſſe ſodalem;
Inuidit Patriæ nobile & ingenium.
Forſitan hoc ipſo ſit crimine libera; curſum
Præpete quod tribuat ſic tibi ad aſtra gradu.

Idem Argumentum.

ATropos, ah atrox: ſocio, cur ſtamina Vitæ
Occas ætatis, Flore virente, ſuæ?
Ah atrox! vno innumeras ſpes funere noſtras
Eripis, & tapidis das abolere Notis.
Heù dolor! Heù lachrimæ! damus hinc ex corde querelas.
Et te crudelem dicimus, atque feram.

Ioannes Baptiſta Sanctolinus Cæſenas Doctrinæ Laurea ornatur.

Peruſiæ.

AStrea ex alto, Terras ſpeculatur Olympo,
Vrbis & Auguſtæ mœnia forte videt.
Hic vbi Legalis floreſcunt iura decoris,
Ac viget Aonijs docta caterua Choris.

Vnus erat ſtudijs inſtans, iuuenilibus annis,
In genio viuax, Iudicioque ſenex.
Cui ſanctum dederat natiua modeſtia nomen,
Addideratque ſuas Gratia Diua notas.
Tunc ait Aſtrea; huic lauro cingite crines;
Doctorumque ſacris annumerate Choris.
Talibus excultus ſit moribus ille neceſſe eſt,
Qui debet Sancto Iura agitare foro.

Idem Argumentum.

SIc ubi Virtutis doctas Permeſſidis oras,
Sanctoline, tuæ nuncia fama venit:
Omnis in applauſu Chorus eſt, & pulcher Apollo
Præſes ad applauſum plaudit vtraque manu.
Inde vireſcentem decerpi ex arbore laurum
Iuſſit, honoratis ſerta futura comis.
Seù mores, inquit, ſpectas, ingeniumque diſertum;
Seù vitæ, & docti pondera iudicij.
Dignus honorari ſic eſt, qui præminet vnus
Iudicio, Vita, moribus, ingenio.

Diſticha varia
Pro Gratiarum Actione.

TOt Grates agimus vobis, quot littus arenas
Occupat: & Cęlum ſydera quotquot habet.
Ante leues alto paſcentur in Æthere Corui,
Quam veſtra è noſtro Gratia corde cadat.

Spi-

Funus Adoleſcentis.

CVm te tam Iuuenem, cum tam florentibus annis
    Eripiat celeri mors properata gradu;
Excuſat Lacheſis fatum crudele; fefellit
    Ingeniumque ſagax, Iudiciumque graue,
Decepta inſolita, dixit, virtute, ſeniles
    Credideram mores, credideramque ſenem.

Auctores

Qui in Scholis explicari ſolent.

Valerius Maximus.

QVi cupiunt almæ ſpatium decurrere vitæ,
    Percurrant oculis inclita facta ſenum.
Scriptor ego hiſtorijs (vt Apes, quę Floribus hærent,
    Optima delibant germina, dantque fauos)
Mellea deduxi veterum monumenta leporum:
    Noxia cuncta fugant; florida cuncta ferunt.

An præciſa licèt patrio de ſente perennat
Röſcida puniceis intemerata comis?
Crediderim innocuam primæuo à tempore natam,
Cum non armabat noxia ſpina Roſam.

Idem Argumentum.

PVrpureis rutilare comis dixere; cruore
Idalio intinctas, vindice vepre, Roſas.
Aſt ego cæleſtem video ſine ſente nitorem
Reddere per ternas nobile ſtemma Roſas.
Quis ſcit an Auroram, roſeó quæ flore coruſcat,
Cælitùs innocuas haſce dediſſe Roſas?

Idem Argumentum.

STemmate pro veteri Heroum Laurentius effert
Puniceas patria nobilitate Roſas.
Quid Roſa cum Lauro? viuit ſua ſæcula Laurus,
Sortitur ſolidum vix Roſa nata diem:
Sed Roſa cum Lauro viuet quoque ſæcula: Laurus
Æternum præſtat viuere iuncta Roſis.

Idem Argumentum.

QVæ tibi Caſtruciæ Gentis Roſa purpurat orbem,
Quæ circum ſerpit flammea Zona globum:

Quæ

Quæ pariter decorat patrium rubra faſcia ſignum,
O quantæ laudis ſunt monumenta tuæ!
Singula Principibus Roſa, faſcia, Zona fuere
Prœmia Virtutis, quæ ſimul vnus habes.

Idem Argumentum.

NOſcere quiſquis amas quòquò Roſa ſera mouetur;
Inſpice grandæuis nobile ſtemma Roſis.
Hæ cum porpureæ, virideſque in ſæcula viuant:
Non niſi Cæleſtis germinat Elyſius.

Idem Argumentum.

CVr Roſa, quam tenui folio perijſſe videmus,
In tàm longæuas vixit odora dies!
Hanc, reor, irrorans afflauit Cælitùs aura,
Non Venus intinxit ſanguine vana ſuo.

Idem Argumentum.

FAſcia, Zona, Roſæ ſunt, ſingula ſymbola honoris:
Singula ſunt veteris nobilitatis honor.
Faſcia, Zona, Roſæ ſic vno in ſtemmate fulgent,
Vt ſint multiplici laudis honore Notæ.

Cardinalis à Florenzola Stemma Gentilitium.

QVid Leo magnanimus ſyluis dominator in altis
Blandicomam geſtat lenis in vngue Roſam?
Maieſtatis habet Leo regia ſymbola, Princeps,
Vt Roſa Blandiferi ſymbola amoris habet.
An quia concordes, & in vna ſede morantes
Maieſtas, & Amor ſic bene conueniunt?

Idem Argumentum.

QVid Leo, quid Roſa quid tandem tria Lilia Princeps.
In Patrio præſtant ſtěmmate ſigna tuo?
An Leo, ſicut Apis, florentia germina poſcit,
Vt mel de forti dulciùs ore fluat?
At reor antiquæ renouari ſymbo la ſortis,
Mellificat per Apes cum tuus iſte Leo.

Idem Argumentum.

SI maieſtatem redemitus fronte decorat,
Quid Leo blandicomam porrigit vngue Roſam?
Et quid Cæruleo præciſi ſtemmatis orbe
Deſuper efflorent: Lilia terna caput?
Maieſtas placido tam ſpirat amabilis ore:
Plaudat vt in Vernis Floribus iſte Leo:

Ladiſlai IV. Poloniæ Regis, Caſimirus Filius ſolemni die Palmarum naſcitur.

DEtulit illa dies vitales luminis auras,
A Palmis ſacrum, quæ ſibi nomen habet.
O Rex Magne, tuæ ſunt hæc præſagia Proli,
Quæ faciunt fauſtis tempora ſyderibus.
Inter enim feſtum Palmarum naſcitur Infans,
Longa cui felix vita triumphus erit.

Regis Poloniæ in Stemmate Aquila.

SArmatico è Regno, quæ Lunas impetit vltro
Regina Alituum, barbare Thrace, tuas;
Inconcuſſa oculis Solem ſolet illa tueri:
Pallentes Lunæ non timet ad radios.

Franciſcus de Magnis Comes, Regis Polonię Orator ad Principes contra Turcas Stemma Gentilitium.

MAgne Comes, volucer, qui fulminis arma mini-
Inuictæ dextræ num dedit arma tuæ? (ſtrat,

Mu-

Mucronem, fama eſt, dextræ rapuiſſe minaci,
Victima cum Virgo danda Lacæna foret.
Credibile eſt retuliſſe tuæ, cum perfidus hoſtis
Mactandus iuſto eſt Barbarus interitu.

Idem Argumentum.

QVæ munita manus nudatum ſuſtinet enſem,
Illa tibi duplex denotat Imperium.
Prælia Martis agis Thraces pugnator in hoſtes;
Exerces iuſtum Principis officium.

Idem Argumentum.

MAgne Comes Franciſce tuam quid regius Ales
Belliger armatam circuit enſe manum?
Ante Gygantæos cum pungat Iupiter auſus;
Adfluit Inuicto Fulmiger ille Ioui.
Thracibus infidis per te noua bella parantur.
Quis ſcit an inuictum te putet ille Iouem?

Franciſcus Comes de Magnis, & Legatus Regis Poloniæ.

Anagramma.

Gens coge ſocios, in feros Turcas: Pallas me Ægide munit.

Epigramma.

EXcitaC immerijs, & debacchata per orbem,
Monſtra furunt: Populis Thracia bella mouent;
Nūc pia GENS SOCIOS in prælia COGE Maniplos.
N unc animoſa tuum fortius agmen age;
ME fouet, & MVNIT Bellatrix ÆGIDE PALLAS.
Aegidis aſpectu territa monſtra cadunt.

Ioannes Nardius Medicus ſcripſit de Rore, & Manna Florentiæ.

NArdus odora nouos rorat de flore liquores,
Quales melliferos nec dare poſſit apis.
Ros, & Manna fluit, quæ cælitùs aura ſerena
Dippluit; illucet cum ſine nube dies.
Talia dona refers, noua munera Nardius; ecquis
Iam te Cæleſtem non putet eſſe virum?

Idem

Idem Argumentum.

IRis odorifera vernat radice, medentum
Gratum opus, inſtillat quæ quaſi manna malis:
Æmula Cæleſtis radiat quoque diſcolor Iris,
Grata ſalutifero munera rore parit.
Nardius alterutrum velut Iris, munus adæquat;
Tam bene qui rorem, quam bene manna refert.

Bernardini Manzonij Piſis Sacræ Fidei Quæſtoris Stemma Gentilitium.

CVltor agri Bos cur te circum Lilia florent;
Quem mage Ruricolam pinguis ariſta iuuat?
Abdita ſignari credam tua ſymbola ſortis,
Quam ſacer à ſancto munere Quæſtor habes:
Innocuum eſt animal, ſimplex ſine fraude, doloque;
Sunt fidei intactæ Lilia ſigna tuæ.

Pauli Burgheſij iunioris Principis Obitus.

BVrgheſiæ Gentis ſoboles, ſpes ſanguinis vna,
Paulus adhuc viridi flore reciſus obit:
Inuida Flora fuit quod pulcro à germine vinci
Vel Poſſent flores, quos parit ipſa ſuos.

Cre-

Crediderim Parcas humili ſic voce rogaſſe :
Demite iam Florem, qui præit ante meos.

Franciſci Caſtilionis Marchionis Inſulæ Funus Mediolani celebratum.

Epithaphium.

QVis iacet in tumolo? Princeps Mauortis Alumnus
Acer, vt ille ſequax Caſtalidumque Chori.
Quem parili cultu decorabat ſpiritus ardens,
Et mite ingenuis artibus ingenium.
Hic grauis, & prudens, & fortis, Amator honeſti,
Cui Pietas cordi non aliena fuit.
Nobilis Inſubrum, Patriç Flos; Gloria Gentis
Et veteris Generis Caſtilionis honor.
Huic Domino celebri fuit Inſula ſubdita Tellus,
Preſſa dolore diu quo moriente gemit.
Hunc tamen Heroem rapuit Mors; Improba quid ſic?
Non aliter poterat viuere perpetuus.

Idem Argumentum.

NOn nomen, non quo genitus: non vnde: quid egit,
Prçclaro reddit funere perpetuum.
Illuſtri de ſtirpe ſatus fuit Inſuber Heros,
Qui parua tegitur Caſtilionus humo.
Quæ tamen egregijs factis eſt fama ſuperſtes,
Immenſum ſpatium non ſatis orbis habet.

I nunc; I Lacheſis, Mortem ſi Heroibus infers,
Hi viuunt fama tempus in omne ſua.

Idem Argumentum.

CAſtilione genus; Franciſcus nomine; geſtis
Notus in Inſubria, notus in Heſperia.
Ingenio clarus: clarus victricibus armis:
Vt genere egregius; ſic genio ingenuus.
Me Mors eripuit: tamen hinc ad ſydera notus
Euheor: i Lector ſic pete poſſe mori.

Theodoræ Colaltiæ Marchioniſſæ Franciſci Coniugis funus celebratum.

Epithaphium.

QVis iacet hoc tumulo? Theodora Colaltia, Gente
Nobilis, inſigni Prole beata Parens.
Caſtilionis erat Domini fidiſſima Coniux:
Dotibus egregijs digna Virago ſuis:
Cur non flexit adhuc virtus tam pulcra Sodales?
Nec mota eſt tantis mors male fida bonis!
Non flexit nec mota: virens nihil obſtitit ætas,
Quin defalcato demetat enſe caput.
Heu facinus lacrimis dignum! quis temperet? & quis
Non ſæuam mortem, ſacrilegamque vocet?

Aſt

Aſt Atropos ſeſe excuſat: Theodora Deorum
Munus erat: reddi debuit illa Deis.

Idem Argumentum.

MAtronæ funus dum nos celebramus honeſtæ,
Quiſquis ades menti condita dicta refer.
Hoc tumulo Theodora iacet de gente Colalti,
Fida ſui coniux Caſtilionis erat.
Septem pulcra ſuis præſtanti corpore Natis
Inſignis multa cum Pietate parens.
Grata fuit cunctis ob tàm præſtantia dona,
Digna etiam luſtris viuere perpetuis:
Attamen omne caput mors importuna recidit;
Non timet illa homines, non timet illa Deos.

Idem Argumentum.

QVæ Theodora tibi clauſerunt lumina vitæ:
Hec bona nùnc dici, nùnc mala fata licet.
Sunt mala, quæ nobis pignus rapuere decoris;
Sunt bona, quæ ſuperis reſtituere Deis.

Idem Argumentum.

HEù dolor! heù lacrimæ! damus hinc ex corde querelas.
Cum, Theodora, tuum Mors rapit atra decus:

Crudelem mortem, crudelem dicimus omnes,
Quæ tàm pulcrum eſt auſa ferire caput.
Aſt illa excuſat crudelia facta: quod illud
E Cœlo rapuiſti Theodora decus.

Idem Argumentum.

HIc Theodora iacet: poterat Pandora vocari,
Munera ſi ſpectes, quæ tribuere Dij.
Qua tamen, Heù dolor! heù rapuit mors; cōdidit vrna;
At fama, & pulcra prole ſuperſtes erit.

Legis Periti cuiuſdam Tumulus.

HIc iacet egregius Iuris, Legumque Magiſter,
Qui nouit lites toto agitare foro.
Aſt vnam ignorat; proh vana peritia! litem
Quam ſibi de vita Mors maleſida mouet,

Gaſparis Leontini Senis Venerabilis. Tumulus.

HIc centum ſuprà viginti exegerat annos,
Qui plures etiam viuere dignus erat.
Simplex corde; potens ſermone; Intacta ſepulcro,
Vt tulit è Matris corpore membra dedit.
Siſte viator, amas intactos reddere Mores?
Iugiter hoc verſa Mente: Memento mori!

Ado-

Adoleſcentis Alumni Funus.

QVæ tibi tam velox florentes detrahit annos,
Non caret inuidiæ crimine Nigra ſoror.
Inuidit nobis carum ſupereſſe ſodalem;
Inuidit Patriæ nobile & ingenium.
Forſitan hoc ipſo ſit crimine libera; curſum
Præpete quod tribuat ſic tibi ad aſtra gradu.

Idem Argumentum.

ATtropos, ah atrox! ſocio cur ſtamina Vitæ
Occas ætatis, Flore virente, ſuæ?
Ah atrox! vno innumeras ſpes funere noſtras
Eripis, & rapidis das abolere Notis.
Heù dolor! Heù lachrimæ! damus hinc ex corde querelas.
Et te crudelem dicimus, atque feram.

Ioannes Baptiſta Sanctolinus Cæſenas Doctrinæ Laurea ornatur.

Peruſiæ.

AStrea ex alto, Terras ſpeculatur Olympo,
Vrbis & Auguſtæ mænia fortè videt.
Hic vbi Legalis floreſcunt iura decoris,
Ac viget Aonijs docta caterua Choris.

Funus Adoleſcentis.

CVm te tam Iuuenem, cum tam florentibus annis
Eripiat celeri mors properata gradu,
Excuſat Lacheſis fatum crudele; fefellit
Ingeniumque ſagax, Iudiciumque graue,
Decepta inſolita, dixit, virtute, ſeniles
Credideram mores, credideramque ſenem.

Auctores Qui in Scholis explicari ſolent.

Valerius Maximus,

QVi cupiunt almæ ſpatium decurrere vitæ,
Percurrant oculis inclita facta ſenum.
Scriptor ego hiſtorijs (vt Apes, quę Floribus hærent,
Optima delibant germina, dantque fauos)
Mellea deduxi veterum monumenta leporum:
Noxia cuncta fugant: florida cuncta ferunt.

M. Tullius Cicero.

TE Duce, ſit grauium Diues gens poſtera morum,
Maximus egregias qui canis hiſtorias.
Bella facis: ſed cultus ego meliore Mineruâ,
Quæ vitam decorant ingenioſa fero:
Nam quis auet ductos æquali examine mores,
Officij libros perleget ille meos.

Horatius Flaccus.

FLaccus ego, quatuor qui pango carmina libris,
Et laudo, & doceo, & mordeo, & amica loquor.
Dum laudo, placo ſenſus, animoſque legentum
Dulcibus & numeris, innumeriſque modis.
Dum doceo iucunda fero præcepta Poeſis,
Mordeo ſed vitium, blandus amica loquor.

Valerius Martialis.

QVem iuuat aſtrictis Epigramata claudere nodis,
Quique cupit bella ſcommatis arte ſales.
Et quem verborum Flores, & copia rerum
Oblectat, noſtrum ſæpe voluitet opus.
At caueat, ſi quid fuerit mihi turpe libello,
Diſpereat: cultus tunc liber omnis erit.

P. Oui-

Spiritus in vacuas prius extenuabitur auras,
Quam fluat è noſtro Gratia veſtra ſinu.
Cum nequeam dignas pro munere reddere grates,
Id precor, vt referat præmia digna Deus.
Has ego perſoluo meritas pro munere grates,
Immenſas ſuperi quas habet Arca Iouis.
Semper inoblita repetam data munera mente:
Totus ero veſtris additus officijs.
Eſt mea muneribus veſtris addicta voluntas,
Promptior officijs totaque grata ſuis.
Indignus viuam veſtro decoratus honore:
Si cadat ex animo gratia habenda meo.
Gratia quæ meritas reddit pro munere grates.
Plumea non volitat, plumbea ſed remanet.
Hùc Charites properate citæ, properate ſodales,
Fiat vt officijs gratia grata meis.
Si nequeunt peragi grates, mage præſtat haberi:
Ille poteſt dignas reddere; quisquis habet.
Nomina plura meum ſtringunt ceu vincula pectus:
Quæ nequeat morſu ſoluere tempus edax.
Muneris accepti profiteri nomina gratum eſt;
Perpetuo vobis debitor vnus ero.
Quas poſſum meritas grates, quaſcumque licebit,
Pro mihi conceſſo munere ſemper ago.
Multiplices reddo vobis pro munere grates,
Vt ſua multiplicat ſemina fidus ager.
Semina reddit humus pro ſemine; gratia grates
Exigit; has reddo, ne ſim homo peior humo.

Æ Quora quot Conchas, tenues quot littus arenas,
Quot Flores Tellus, quot Polus aſtra gerit,
De memori promo vobis tot pectore grates,
Quamuis ſint votis iſta minora meis.

Princeps N. Poſt varia diſcrimina redit in Vrbem.

MAgnanimum Heroem per tot diſcrimina rerum
Conſtantem Cęlum vidit, & obſtupuit.

Aliud Diſtichon.

COlluſit Fortuna diù tecum, inclyte Princeps,
Sed tua Fortunam ludere mens potuit;

Aliud Diſtichon.

AD Populi plauſus vrbem redit inclytus Heros:
Ille vrbis Princeps; ille Pater Patriæ.

Micha-

Michael Angelus Sammaruchus Romanus.

Anagramma.

O magnus hic Hercules Muſarum Alumnus.

Qui templum Herculis Excellentiſsimæ Familiæ Columnenſi erexit.

Tetraſtichon.

Herculeum potuit qui ſic diſponere Templum,
Ampla Columnenſis; quo ſtat origo domus.
Sic valet ingenio; ſic præſtat acumine mentis;
Herculeæ quantum non valuere manus.

Diſtichon.

Omne Columneſum genus vno includere Tẽplo;
Viribus Herculeis hoc opus, hic labor eſt.

Fau-

P.Ouidius Naſo.

NAtura Aonio dulcat mihi nectare guttur,
Meque fouet gremio culta Mineruа ſuo.
Hinc Aganippęo manant mea ſcripta liquore;
Mollia mille cano; mellea mille fero.
Tùnc bene carminibus paribus modus additur impar;
Aſſimilet verſus ſi tua Muſa meos.

P. Virgilius Maro.

CErnis, vt eximio rutilet mea Muſa nitore;
Cui poteris nullas aſſociare pares:
Hæc tonat eloquio, ſophiæ ſplendore coruſcat,
Sìc decorat verſus culta Minerua meos.
Qui cupis exculta modulabile carmen auena,
Quę mihi Muſa fuit; Muſa ſit illa tibi.

Q. Curtius.

MIra fluit noſtris linguarum copia libris,
Et nitet, vt referam bellica geſta, lepos.
Aſtrictus, refluens, ſubtilis, clarus honorat
Me ſtylus, ornatas aptus ad hiſtorias.
Et grauis, & fidus, veruſque, argutus, honeſtus,
Et docet eximium diſcere quemque logon.

P. Te-

P. Terentius.

DVlcia qui lepidis curant proſcœnia ludis.
Condere, & argutis ludere dicta iocis,
Sæpe mea aſſiduas implebit fabula palmas,
Quę canit Aonios non ſine laude modos.
Fabellas bellas, & carmina bella parabit.
Condita qui bello ſcommate noſtra leget.

FINIS.

VARIA POEMATIA LYRICA

Liber Vltimus.

In Beatæ Virginis Annunciatione.

Ecce Virgo concipiet. Iſa:

Ode I.

COmis Virgineis nectite lilia,
Nymphæ Pieriũ quæ colitis nemus;
Et vanas veterum ponite Numinũ
Poſt hac dicere Nuptias.
Mariȩ thalamum dicite ſanctiùs,
Hymenæoſq; ſacros ludite canticis,
Quos ſpõſata Deo præparat optimo
Virgo candidior Niue.

Hùc vibrare Puer tela procacior,
Neſcit praua ſui Numinis impotens:
Longè pulſa Venus conſcia diffugit
Matri cedere Virgini.

Mariam ſpeculo dicite comparem,
Quæ ſummi genitam Patris imaginem
In puro capiens viſcere concipit,
Almo prædita Numine.

In Beatæ Virginis Annunciatione.
Orietur Stella ex Iacob.

Ode II.

QViſquis horrenda Phlegethontis Vmbra
Ante demerſus; velut in ſepulcro;
Lux ubi fulget, ſubeunte, gaude,
Numine Terras.

Illa lux, alto ueniens Olympo,
Virginis caſtam decorauit aulam,
Floris intacti iubar, ac pudicum
Sactat honorem.

Illa lux, almæ ſociata menti,
Indicat Cœlo properare metas:
Ante damnatas vbi dimouebit
Criminis vmbras,

Ex tetro gentes Erebo reducit,
Quò nefas primi Genitoris egit;
Monſtrat & mæſto generi recluſa
Oſtia Vitæ.

In Annunciatione Beatæ Virginis
Electa vt Sol.

Ode III.

SIc te, Diua, potens Deus
Sic plenam meritis maxima Virginum,
Immu-

Immunem maculis amat:
Vt Natam Genitor Numine amabili,
Et Matrem Genitus ſuam,
Ac Sponſam parilis Spiritus eligat;
Et caſtum decoret ſinum
Diuina innumeris Gratia dotibus.
Ceu Sol clarus in æthere
Cunctorum ſuperat lumina Syderum,
Cum pulcra rutilat face:
Sic tu, Diua, tuis prædita dotibus,
Longè pulchior emicas.
Longè, Virgo parens, grandior emines.

In Beatæ Virginis Annunciatione. Pulcra vt Luna.

Ode IV.

PVella, Mater inclyta,
Ignara flammæ Cypridis;
Pudica cuius pectora
Almo ſacrantur Numini.
Qualis, micantis æmula
Ornata Solis lumine,
Inter niteſcit Sydera
Cęlo Diana pulchrior.
Sic vnà cunctis dotibus
Formoſa Virgo nobiles
Excellis ante fæminas,
Almo beata Flamine.

Summi Parentis Filia,
Natique Mater vnica,
Et Sponſa Sancti Spiritus,
Tuam precamur Gratiam.

In Beatæ Virginis Natiuitate. Tota pulcra es.

Ode V.

AFferte, Nymphæ candida Lilia,
Roſas virentes ſpargite: pulchrior
Cunctis ſodalibus beatas
Diua Charis properat in auras:
Nitore vincit lucida Sydera:
Decore præit gemmea marmora:
Candore brumales pruinas:
Auricomum iubar ore ſolis.
Lacteſcit almis candida Nix genis,
Quas vmbra ludit lambere leniter,
Pulcrum mouere cui Duellum
In labijs roſeum audet oſtrum.
Viden! aperto tota ruit Polo
Phalanx, tueri lumina Gratiæ,
Lyramque ſuſpendit ſonantem,
Dulce melos animum remulcet.
Dixere: poſthac protinus aureas
Per aſtra ſortes currite candidis
Horæ quadrigis; ſol benignum
Exhilarat ſine nube vultum.

Audi-

Auditis? an me ludit amabilis
Furor? recluſo cardine Sydera
Cerno triumphari Choreis:
Nazareis Charis orta Terris:

In Beatiſsimæ Virginis Natiuitate.

Facta eſt coram Eo quaſi pacem reperiens.

Ode VI.

DIua vitalem cape virgo lucem;
Solis æſtiuas moderare flammas,
Et Polo terram ſociale nexu
Redde iugalem.
Iuno Cæleſtis domineris aulæ,
Cardines inter mediata vtroſque,
Cęlitum turmas, Hominum phalanges
Necte ſodales.
Iris æternam meditata Pacem,
Fronte diuina iaculare Amorem;
Incipe & vultus niuei ſerena
Luce nitere.
Bella rixantum querula redibunt
Voce letheos Erebi in receſſus:
Aęnea nectęt furioſa Carcer
Compede monſtra.

Aureæ ſortes iterum redibunt:
Iuſſa concordi digito mouere
Parca fatalem reſerabit Vrnam
Omine fauſto.

In Natiuitate Beatæ Virginis Mariæ. Quaſi Roſa, & ſicut Stella.

Ode VII.

LEnes adeſte Gratiæ,
Adeſte Nymphæ Virgines
Odora ferte Lilia;
Roſas comantes ſpargite.
Florenti in Vrbe Nazaret,
E ſtirpe Dauid inclyta,
Roſæ micantis æmula,
Decora Virgo naſcitur.
Nitor Puellæ Cælicæ
Quàm pulcher ore fulgurat?
Laceſſit ille Sydera,
Roſis decorem præripit.
Viden? Beati Cœlites
Ad hunc nitorem Syderis,
Ad hunc odorem floſculi,
Choros in omnes curſitant.
Audin? canoras fiſtulas
Inflare dulci flamine,
Dulcique cantu plaudere
Natalis ad diem ſacri.

In Natiuitate Beatæ Virginis

Coronemus nos Roſis antequàm marceſcant.

Ode VIII.

QVid tibi Flores Iuuenis comantes
Præparas, flauos redimire crines?
Mitte ſectari Roſa quò locorum
Sera moretur.
Stirpe ſublimi Generis coruſcat
Nazaret Virgo, Roſa Flore pulcro,
Quam beat circùm Zephyro ſecundo
Cœlitus aura.
Aureum pulcro iubar afflat ore,
Quo fugat nubes Boreis aquoſas,
Ver & æternum vehit, ac perennes
Floret in annos.
Hac Roſa puram decorare mentem
Te decet, frontem neque te profanam.
Floſculus lucet niuei pudoris
Nazara Virgo.

Ad Muſicos concentus modulata.

Ode IX.

DEcora Pubes incola Syderum
Dulci cantico
Barbiton apta;
Canora plectra percute.
Puella Virgo, Germine Regio,
Filia Gratiæ,
Prodit in auras,
Regina Cœli præpotens:
Nitore vincit Sydera pulchrior,
Pluſquam Lilium,
Gratior & Roſa,
Vultus Puellæ Cœlicę.
Age Pios dic Amores:
Age Sacros dic lepores,
Cane delicias Poli;
Cane delicias Soli:
Cunctis lætitiam facit Puella:

In Natiuitate B. Virginis.

Ad Muſicos numeros concinnata.

Ode X.

AVrea gyro
Currite currite
Sydera fauſto,
Feſtiuum renouate plauſum.
Aurea pulcro
Luminis ortu
Fauſta benignis
Affulge radijs dies.
Virgo clarior Heſpero:
Luna ſplédidior, Sole ſerenior
Alba candidior Niue,
Roſa gratior emicat.
Sydera rident
Gratia germinat
Gloria plaudit
Virgo tuis Natalibus.
Decoræ Nymphæ ludite,
Sacram Næniolã dicite Virgini.
Lepor omnis, amor omnis
Purpureis micat labellis.

In Natiuitate B. Virginis.

Ad Muſicos concentus modulata.

Ode XI.

AGe Nympha carpe Flores,
Noua Diua iam beatas
Charis alma luſtrat auras:
Accurre Cœlo Gratia
Ornare cunas Floribus.
Age nulla ſic renidet
Face ſuda per ſerenum
Inter Aſtra lux Theatrum:
Qualis Puellæ Cœlicę
Nitor niualis emicat.
Roſa nulla ſociale
Decus alma Liliorum
Nitida coma purpurat:
Naſcente quale in Virgine
Iubar ſerenum candicat.
Ite decoræ Virgines,
Ite ſodales Gratiæ,
Afferte cana Lilia,
Roſas virentes ſpargite,
Ornate cunas Floribus.

Rythmus

In Natalitijs B. Virginis.

Ad muſicos numeros decantatus.

AGe Chorus triumphales ;
Age lætus dic Natales
Nazarenæ Virginis.
Procul pelle, funde, frange
Rumpe, fuga, vince, doma
Perduelles ſtygis angues
Triumphalis, age, Roma.
Vix orta clareſcit
Cęleſtis hæc lux,
Cum fuga paueſcit
Vmbrarum en Dux.
Lux illa ſerena
Dum ſurgit in aſtra
Iam cadit nefaſta
Cum peſte Męgera.
Age Chorus triumphales,
Age lætus dic Natales
Nazarenæ Virginis.
Iam læta ſpes ægris
Exurgit, & Pax:
Extincta cum flagris
Eſt iræ iam fax.
Diuina ſub Stella
Funduntur en Caſtra

Quæ

Quæ tentant in aſtra
Contendere bella.
Iubar afflat, afflat oſtrum:
Auroræ conſurgentis
Phlegethontis exhorrentis
Iam fugatur omne mōſtrū.
Procul pelle, funde, frange,
Rumpe, fuga, vince, doma
Perduelles ſtygis angues
Triumphalis age Roma.
Age Chorus Triumphales:
Age lætus dic Natales
Nazarenæ Virginis,

In Aſſumptione B. Virginis.

Regina Cœli, & Mundi Domina.

Ode XII.

Virgo de celſo faueas Olympo.
Vt tuum Vates recinat triumphum:
Sic reus voti tibi Nazarenus
Debet Alumnus.

Cęlitum cantus iuuat æmulari,
Qui ſuper Cœli, radiantis orbes
Digna feſtiuis titulis honorant
Præmia Diuæ:

Diua

Diua cui Stellis radiata crines
Aureos circum decorat Corona,
Luce cui ſacrum rutilante pingit
Phębus amictum.
Diua cui Phæbe pede ſub nitenti
Adiacet curuo pudibunda cornu:
Vna dum maior micat inter omnes
Stella minores.
Diua Celeſti dominatur Aulæ,
Quam colũt puræ ſuper Aſtra mẽtes,
Proximos almo ſociata Regi
Sumit honores.
Diua quæ Princeps Hominum, ac Deorum
Pacis optatæ moderata Regna
Reddit, extincto procul & minaci
Fulminis igne.
Semper, ò fauſtum precor ire Cęlum;
Vt cadant Venti, fugiantque nubes;
Et minax ſi quid ſupereſſet omen
Vertere Terras.

In Aſſumptione B. Virginis.

MARIA Aſſumpta eſt in Cœlum.

Ode XIII.

VAna non canam nouus
Commenta, Vates, fabulaſque ineptas:
Virginis ſed inclytæ
Dicam triumphum, dum per aſtra tendit

Ad Thronum ipſius Dei;
Vbi regenda dextera potenti
Sceptra Terræ, & ætheris
Geſtabit: illam & extimeſcet Orci
Horrendum fremens Draco.
En vt Phalanges Cęlitum volantes
Concinunt, leues Choros
Ducunt, lyraq; perſonant eburna,
Virginis ſacrum decus
Reginæ in omne ſæculum colẽtes.

In Aſſumptione B. Virginis.

Aſſumpta eſt ad æthereum thalamum.

Ode XIV.

REginam Superum dicite Virginem,
Illius celebrem dicite Gloriam
Fauſta voce Camænæ,
Feſto quo colitur die.
Auditis reboant vt ſonitu arduo
Orbes ætherei? cernitis vt Poli
Per conuexa volantes
Ludunt Aligerum Chori?
At Matri egreditur Filius obuiam,
Et nectit capiti Sydereum decus,
Iuxta protinus & ſe
Aurato in ſolio locat?

Ter-

Terras munifico lumine reſpicit,
Et quidquid miſerum, flebile, noxium
Pacato Ioue cònſors
Humano Generi fugat.

In Natalitijs Dominicis.

CHORVS.

Ode XV.

CAſtæ ſurgite Nymphæ:
Sacrum dicite carmen;
Vernos ſpargite flores.
Nuper Virgine Natus,
Almo Numine plenus
Præſepis cubat antro;
Duro graminis ictu
Infantis lachrimantis
Pungit membrula fœnum.
Caſtæ ſurgite Nymphæ;
Sacrum dicite carmen;
Vernos ſpargite Flores.
Vultu lachrima rorans
Condit balnea Nato;
Cui flammas Amor addit!
Ingens ardor amoris
Diuum cogit Amantem
Bruma ſub gelida pati.
Caſtæ ſurgite Nymphæ;
Sacrum dicite carmen;
Vernos ſpargite Flores.

In

Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.

Ode XVI.

QVondam nectareis floribus inſito
Horto, præ uario Sydere germinum,
Inter delicias, inter amabiles,
Priſco natus Amor, fertur Apologo.
At nunc Diuus Amor rupibus arduis,
Quas fęnum paleis aſperat hiſpidis,
Infans in rigido ſtramine conditus,
Non in Delicijs mollibus editur.
Prædurò ſtipulæ cuſpis acumine
Pungit lacteolos corporis artulos:
Anttum prægelidum frigus inaſperat:
Cunas prætenuis faſcia pauperat.
Sic leges veteres mutat Amor nouus,
Gaudet triſtitiam ſolicitam pati,
Merorîſque vices intolerabiles,
Dilecto fieri par Generi meo.

Hen-

Hendecaſſyllaba ex Mart.

Ode XVII.

FRuſtra deliciæ venitis ad me,
Attritis miſerabiles labellis,
Ad rupes procul ite ſub ſilentes,
Et turpes, humileſqũe ſuppliceſque
Plutonis famulæ redite in antrum;
Iam non eſt locus hoc, in orbe vobis:
Dum rerum Dominus, Puer iacere,
In fęno patitur, geluque ferre:
Per quem de ſtygia domo reducta eſt
Nigris obruta veritas lacunis:
Cunctis delicijs procul fugatis,
Hoc iam ſub duce quiſque militabit.

Vaticinium Angelicum.

Ode XVIII.

ORbis cum traheret perditus inuijs
Vitæ curriculum per mala ſemitis;
Felix auſpicijs fulgurat æntheus
In luce, vt caneret bona.
Ales fata. Deus iungere deſtinat
Solemnes inito fędere nuptias
Veſtro cum Genere, & Progeniem dabit
Caſto Virginis è ſinu.

Vir-

Virgo nobilibus prædita dotibus ;
Aura Diuigena concipiet Virum ,
Venturum populis præſidio Ducem ,
Cunctis gentibus Arbitrum.
Qui rerum ſeries ordine dirigat ;
Propellat gemitum; lætitiam ferat ;
Et ſortem reuocans Cœlitus auream ,
Humanum reparet Genus .
Audio Cymmerijs monſtra receſſibus
Vt ſub Tartareos diffugiant lacus :
Ne quicquam moueant triſtia funera ;
Ne quicquam exitium ferox.
Procumbunt ſtygio vortice naufragæ
Deflentum rabies Eumenidum graues :
Et fæcunda nouis Aſtra nitoribus ,
Pacis munera dippluunt.
Sic Natura , licèt diſſita limine ,
Connexa eſt laqueo conſociabili ;
Lætaturque ſua ſorte beatior ,
Cum factus Deus eſt Homo.

Rythmus

In Natalitijs Dominicis :

Muſicis notis decantatus.

AGe Chorus ſalutarem ;
Age lætus dic Natalem
Nazareni Pueri .

Nocte

Nocte ſuda lux ſerena
    Vehit Mundo Sydera.
Tellus alma coronatur
    Fronde, Flore, germine.
Bruma fugit, fugit Hyems,
    Roſæ florent, florent Lilia.
En Puer exurgit,
    Diuinus vt Flos,
    Qui nectar iſtillat,
    Cęleſtis vt Ros.
Age Chorus, tange plectrum;
    Pulcrum benigno luminis ortu
    Plaude fulgentem diem.
Pelle procul, funde, fuga
    Brumam, niues, nubila.
Siſte toto procul orbe
    Mæror, dolor, lachrimæ.
En alma coruſcat
    In terra nunc Pax,
    Quæ nubila belli
    Depellit, vt fax.
Quanta diffundit lumina Cœlum!
    Quanta producit germina Tellus!
    Quanta Celitus intonant
    Lætis gaudia mentibus!
En mundo refulget
    Pacificus Rex,
    Qui populum regat,
    Suauis vt lex.
Rident Sydera, florent germina.
    Pluſquam Sydus, pulchrior & Roſa;

Vel niue ſub gelida vernat
Campi Flos, Cœli Lilium.
Age Chorus ſalutarem;
Age lętus dic Natalem
Nazareni Pueri.

Qualis vera Pœnitentia.

Ode XIX.

QVem grauis culpæ bene pęnitebit,
Rite tùm cordis lachrimis piabit
Damna; cùm prauæ Metonea tollet
Semina noxæ.
Nullus è fletu tibi proſit vſus;
Vana ſi menti ſedeat voluptas:
Ille, qui funus celebrat moleſtum,
Commoda abhorret.
Dura formabit tibi cúra mores.
Sicut educit calor ignis Aurum:
Sic fugat luxum labor omnis aſper,
Cordis & ardor.
Cerberi guttur perimentis atrum
Sola deludit ſociata imago
Mentis integræ, fideique candor,
Parcaque vita.

Sacra Domus Lauretana.

Ode XX.

CVltu blandiſono flectere pectora
Doctæ Pierides, carmina fundite:
Aedem Virgineam dum Chorus Alitum,
Templorum decus, euehit.
Nymphæ florigeræ carpite Lilia,
Ridentemque Roſam ceſpite pendulam,
Pallentes violas, aſſociabili
Plauſu ſpargite Limini,
Cęleſtes referant Sydera cardines:
Cernis? Diua phalanx labitur æthere,
Feſtiuis reſonat cantica laudibus,
Et Sacram celebrat Domum;
Quę iam Sydereis æmula ſedibus,
Quamuis exiguo continuit ſinu
Regem Cœlituum: fædere amabili,
Cum factus Deus eſt Homo.

In Beatæ Virginis Natalitijs.

Ode XXI.

FAuete linguis: Sydera perſonant
Puellæ exortæ carmina non priùs
Audita Pimpleis ab Vmbris.
Lingua ſilet, ſonituſq; prodit.

O Virgo fęlix Germine Regio
Præſens, & almum præſidium, ac decus
Cui ſeruit æther, quam ſilentis
Dux Erebi fugitiuus horret.
Benè eſt, ſecundo ducimur Alite
Benè eſt, amico ducimur omine,
Aſtrum benignum dum ſalutis
Exoreris paritura Pignus.
Per te nouenis Agmina cætibus
Diſtincta gaudent: atq; hominum Comes
Per te genus Mortale ſperat
Sydereas habitare ſedes.
Hac ſpe reſumit fortia pectora
Gens, & fugata triſtitia, & metu,
A te benignum per perennes
Auxilium petit illa ſoles.

De B. Virg. Annunciata.

Ode XXII.

DVm ruit cuſpis genus omne preceps,
Noctis horrendę tenebris ſepultum,
Nec ſibi certum properat ſalutis
Poſcere lumen.
Tunc Pater ſummus miſeratus atra
Clade demerſam releuare gentem,
Iuſſit auratos potiore luce
Currere ſoles.

Iuſ-

Iuſſit æternum Genitum recondi
Nube, Diuinum iubar adfuturum,
Vmbra quo Mortis cadat in ſalutem
Depereunti.
Stirpe regali generoſa Virgo
Dotibus cunctis decorata Mater,
Inſtar Auroræ pariet receptum
Viſcere Solem.

Alexandro Cardinali Cæſarino Scholar. Piar. Protectori.

FESTIVVS APPLAVSVS.

Super cuſtodiam meam ſtabo.
Habacuc. cap. II.

Ode XXIII.

BElliger quondam Volucer potentis
In Iouis ſceptro poſitus tueri,
Cœlicum regnum potuiſſe, Vatum
Fabula prodit.
Symbolum verax reſerauit Ales,
Cæſarinorum Dominator Aulæ,
Qui Dei in ſceptro, Eccleſiæ in Columnâ
Peruigil adſtat.

Hic feros Hoſtes generoſus arcet,
Neſcius miſſum trepidare fulmen,
Pro Dei regno vigilat tuendo,
Pandit & alas.

Quaſi Aquila ſuper domum Domini. Oſeæ cap. 8.

Ode XXIV.

IVppiter quondam vigilem ſupremæ
Arcis, armatam rutilante flamma,
Senſit in frates Aquilam mouentes
Prælia Cælo:
Ferre qua fauſtos meruit triumphos,
Ille diſiecta rabie Gigantum,
Reddito celſis geniale pacis
Munere regnis.
Symbolum verax reſidens Columnæ,
Fida tutatrix aperit, ferocem
Quæ premens Hoſtem Domini tuetur
Peruigil ædes.

Por-

Portabo vos ſuper alas Aquilarum. Exod. 19.

Ode XXV.

AVſter ſollicet turbidus æthera;
Nubes à rapidis flatibus incitæ,
Vel cũ terrifico turbine fulminent.
Suetus Sydereos viſere tramites
Ales, munifici Numinis Armiger,
Nõ atros trepidat fulminis impetus.
Euitatus iter flamine proſpero
Obliquum, ſuperis ſedibus inſerit
Alæ remigijs impoſitos ſuis.
Conſo rteſq; Deum delitijs vehit;
Non olim Puerum Numine cœlicas
Quali Dardanium vexerat ad dapes.

Protegar in velamento alarum tuarum. Ex Pſalm. 60.

Ode XXVI.

AVras carcere conditas
Arcet cum Zephyrus ſuas;
Si Cęlo radijs graue
Vllum tempus inæſtuet,
Ac triſtes referat vices,

Ales Principis inclyti,
Panſo tegmine regio
Alarum, fugat horridi
Aeſtus igniuomas faces;
Noſtrumq; effugium parat,
Olim quod memorant Auem
Præſtaſſe obſequium Pijs.

In velamento alarum tuarum exultabo. Ex Pſal. 62.

Ode XXVII.

QVantum lætitiæ pectore feruido
Collegiſſe iuuabit!
Quos fortuna nouis ſortibus inuida,
Quaſſos turbine vexat.
Promptum Præſidium prouidus inuehit
Clemens Principis Ales:
Qui, firmo reſidens marmore, regia
Velamenta miniſtrat:
Felices pauido ne pede corruant,
Semper fida tuetur:
Fauſto Sydereos omine dextera
Præfert ante volatus,

Fa-

Faciam illum Columnam in templo Dei mei. Apoc. cap. 3.

Ode XXVIII.

COlumna in Aſtra verticem,
Decora Sacræ Purpuræ
Extollit in potentia.
Columna non in vltima,
Reciſa qualis Africa;
At Cæſarum potentium
Electa de propagine;
Vt expolita Eccleſiæ
Locetur in faſtigio:
Columna nullis motibus
Decuſſa, firmo vertice
Domum Dei quæ ſuſtinet.

In domo Dei Columna, & Firmamentum.

Epiſt. 1. ad Thimot. Cap. 3.

Ode XXIX.

VEl domus crebris agitata ventis,
In ſua conſtans ſtatione, nullos

Im-

Imbrium motus trepidat minaces,
Nixa firmatæ ſolio Columnæ.
Prouidus Rector, moderator orbis,
Cuncta qui mira ratione librat,
In domó ſacra ſtatuit frequenter
Cæſarinorum ſtabiles Columnas:
Si malæ quondã tumeant procellæ,
Ne ſibi damnum timeant Penates,
Aut domus vllæ feriant ruinæ
Tecta; quæ ſiſtunt ſociata firmis
Fulta Columnis.

Eſt, & Columna, vt requies. Eccl. Cap. XXXIV.

Ode XXX.

QVando proteruus ſibila ventilat
Eurus, minaci concitus impetu,
Periculoſam ſæuientis
Nil rabiem pauitat ruinæ,
Quæ cauta ſedem principio Domus
Sortita tectum culminis ardui
Credit Columnæ ſuſtinentis
Impauido trepidare fulcro.
Talis furenti turbine concuti,
Nullo pauebit Religio noua,
Cui Cæſarina purpurantis
Principis, vt Requies, Columna eſt,

Co-

Columnas eius fecit Argenteas. Cantic. cap. 3.

Ode XXXI.

Patrem purpureum Deus,
Dum celſa Eccleſiæ deſtinat, vt regat
Inuicta Baſe culmina,
Hunc, tamquam Parij robora marmoris,
Argenti decorat niue:
Concors Iuſtitiæ clara Benignitas;
Vitæ Purpura candidæ
Mirandis rutilat mixta coloribus.
Maieſtas, Moderatio
Innixæ ſolijs Imperitant pares;
Vt Clemens Pietas ſuas
Et forte imperium conſocient vices.

Ablata eſt poteſtas Beſtiarum. Dan.cap.5.

Ode XXXII.

QVid bellicoſum ferrea vincula
Vrſum ad Columnam (quem prope nutrijt
Horrenda Ditis ſæuientis
Sylua) premunt, humilemque reddunt!

Inuicta magni Progenies Iouis;
Circumfluentem, quæ domuit ſtygem,
Nigrante Belluam cauerna
Traxit, & impoſuit catenis.
Arctans Columnæ, talia protulit:
Te Cæſarinis eſſe potentijs
Do ſubditum; truces furores
Hæ Tibi perpetuò retundant.

Et apprehenſa eſt Beſtia.
Apoc. cap. 19.

Ode XXXIII.

TOrquebat Cœlum glacialibus Vrſa pruinis,
Exul Riphæis quæ fuit ante plagis;
Tranquillumq; truci feriebat turbine ſolem;
Axe ſerenato ne daret ire dies.
Hæc ventoſa Polum boreali frigore quaſſans,
Cogebat Geticas obriguiſſe niues;
Tunc Aquila æthereos percurrere docta meatus,
Quæque iubar roſeum cernere ſolis amat.
Indignata ſui ſolium cæleſte Theatri
Sæua pruinoſis quod premat Vrſa modis.
Hãc Vrſam vinclo raptat: poſt inde Columnæ
Nectit; eat nunc, & torqueat Vrſa Polum.

Ne-

Neque Beſtiæ terræ deuorabunt eos.
Ezech. cap. 34.

Ode XXXIV.

INfenſus rapido dente fremat Lupus;
Sæuas Tygris in iras
Inſurgat: furiis percitus acribus
Vrſus vertat arenas:
Horrentes quatiat non domitus iubas,
Et frontem Leo toruam:
Ipſe atras triplici Tartareus minas
Fundat Cerberus ore:
Nil monſtra expaueant, quos Iouis Armiger
Ales tegmine ſeruat.
Cernas, vt ſolido marmore comprimat,
Frænetq; ære furorem.

Beſtias terræ non formidabis.
Iob cap. 20.

Ode XXXV.

BEllatrix Aquila altiuolans ſuper arce Columnæ,
Inſpice, prædatam rapuit Feram:
Nec ſolum tumidos ſuperat generoſa Dracones,
Serpenteſq; necat Iouis Armiger;

Sed

Sed valet ingentes pugnas quaſcumque Ferarum
Suſtinuiſſe ſuo inclyta robore.
Inſpice, quam ſæuam ſublimibus aucta trophæis,
Nodoſo ligat ære ferociam:
Cuius ad aſpectum pauitans Erimanthius Vrſus,
Continuit murmur rapidum fremens.
Sic Auis inuictæ generoſo robore tutus
Nil trepides tibi monſtra furentia.

Corona inclyta proteget te.
Prouerb. cap. 4.

Ode XXXVI.

MIcant quibuſcumque iam procul doloribus,
Optata nobis tempora.
Suſurrat aura iam leuis Fauonij;
Titanis almo lumine
Refulget enitentis Aer, imbribus
Cœlo fugatis omnibus:
Agat timoris amplius nihil ſinus
Mæroris atris nubibus.
Quos Cęſarinus, alter ut ſol, inclyta
Fulgens Corona protegit:
Serena quos per Aſtra, quos per aurea
Seruet beatos tempora.

De-

Dedit coronam decoris in capite eius. Ezech. cap. 15.

Ode XXXVII.

QVæ gerit auratum vertice ſertum,
Ales marmoreo fulta theatro,
Nodoſo reprimens ære ferocem
Vrſum, portendit ſigna triumphi.
Regi cum ſupero bella Gigantes
Audebant tumida fronte mouere:
Tunc motos auſus prompta rubenti
Bellatrix Aquila fulmine diſijcit,
Impellitq; hoſtes flectere tergum,
Nexis ſæua ligans colla catenis:
Vnde triumphalis Iuppiter addit
Viſtrices Aquilæ ferre Coronas.

Imponet Mitram capiti decoris æterni. Baruch cap. 5.

Ode XXXVIII.

MAgnum laurigeræ decus Coronæ,
Quæ poſt ſanguineos feros triumphos,
Olim Cæſareas comas recinxit,
Intextum folio licèt virenti,
Iam dudum ſpatio breui peribat;

Nec

Nec palmas meritis dabat perennes;
At laudes alio gerit triumpho
Cæſarina ſuo vetus Própago,
Cui nunc purpureum ſuper Galerum
Miro conſilio Deus trophæum
Sacrum, quod proprio perennet æuo,
Aeterni impoſuit mitram decoris.

Corona aurea ſuper mitram eius. Eccl.cap.45.

Ode XXXIX.

VAtis laurigeram ſpiritus Entheus
Muſam fatidico Numine concitat;
Venturæ vt recinat debita carmine
Sortis præmia Principi.
Quem de Cæſareo ceſpite deligit
Florem Liliacum Cęlipotens Pater,
Cui mitra decorans purpureas comas,
Sacris deſtinat Arbitrum.
Dum creſcunt meritis munera dotibus,
Augeturq; magis Gloria; tunc Deus
Mitræ compoſitum præparat aureum
Sertum deſuper addere.

Cho-

Chorus.

Ode XXXX.

FVlget Cæſarium decus
Ebur inter, inter oſtrum
Radiantis Aula lucis
In niue plaudit,
In face plaudit.

Rubet flammea purpura:
Albet clara Benignitas;
Sacri Principis
Applaudo Roſas,
Plaudo Lilia.

Candidatus Doctrinæ Laurea ornatur.

Ode XLI.

AD plauſus hilares nobilis Indolis,
Quos Auguſta nouat Palladis Aſſeclæ,
Accurre floreſcens ſororum
Aonijs Chorus in triumphis.
Laudis promeritæ dic, age, carmina,
Solemnemq; lyram percute barbito:
Inſigne laureatis Alumnus
A ſtudijs habet ille ſertum.

Admotis labijs hic Heliconium
Largè combiberat pocula fontium,
Hauſturus amplas inde vires
Eloquij, varijq; cultus.
O quam perſpicui ſtat nitor ingeni!
O quam elata ſuæ mentis & indoles!
Qua vincit ætatis virentis
Nimbiferos animi calores.
Vt vultum decorat grata Modeſtia!
Vt iuncta eſt parili munere Gratia!
Hinc dote præfulget potenti,
Inter vt emineat ſodales,
Audin? blandiſonis vocibus, & manu
Qui plauſus reſonant? ſæpe iterant io?
Cui digna laurus virenti
Tempora circumdit corona.
Sic, vos Aoniæ carmine luditis
Doctarum Iuueni præmia frontium
Nunc ite tempus per perenne,
Laude viri celebrate Nomen.

Candidatus Doctrinæ Laurea inſignitur.

Ode XLII.

ADſis Muſa potens lyræ,
Permeſſumque cito tramite deſere,
Vrbem Peruſiæ veni.
Hic dulci Cythara præmia concine,

Et

Et cantu celebra tuo ;
Addictumque ſacris Pieridum Choris,
Præſtantem Iuuenem modis :
Non ieiuna tibi materies erit,
Nec laudum ſeges arida :
Huic nomen placidis moribus inclytum,
Non impar meritis micat ;
Huic vita ingenuo candida prænitet
Coniuncta ingenio ſimul.
Hunc ſi proſpicies, credideris ſinu
Altum Palladis inclytæ ;
Aut quem conſpicuis Gratia dotibus
Comptum per Charites agat.
Audin ? lætitiæ vocibus vt ſonat ?
Accentuſque canit nouos
Cum plauſu ſapiens Aula ſodalium,
Lauros ingeminat ſuas !
O præclarus honor, veraque gloria !
O certè eximium decus !
Quod virtus, ſapienſque ingenium parit;
Non vanus populi ſonus.
Audin ? vt ſocij cętus amabilis
Ad laudes iterant iò ;
Viuat Neſtorei temporis exitum ;
Quem cernat velut alterum
Princeps in Latio Curia Neſtorem
Fortem conſilijs ſuis.
Cui iam laurigeris Cœtibus inſito
Da frontis præmia laureas :
Virtutis meritis vndique nobilem,
Inſignemque feras Virum,
Dignum carminibus, Muſa, perennibus.

Ad Em. Card. Franciſcum Barberinum de Vrbani VIII. Pontificatu.

Ode XLIII.

FRanciſce Auſoniæ Gloria Purpuræ,
Maior Romulei Pontificis Nepos,
Hic rerũ Dominus, Maximus Arbiter
Orbem Neſtoreo conſilio beat.
Rectum Iuſtitiæ cum regit ordinem,
Cum ponit vetitæ fræna licentiæ,
Cum mixtum vitijs exagitat nefas,
Integrum reuocat moribus & decus,
Hoc tanto Heſperiam ſoſpite Principe
Vrbano gremio Lex fouet aurea,
Sub quo nectareum mellificant Apes
Donum Cęlituum munere pręſtitum.
Hoc grato renouans auſpicio dies
Dat fauſtos Populis viuere lætius;
Romanumque ſolum vellet amabili
Fælix Imperio perpetuum frui.

In

In Aduentu ad Collegium Nazarenum.

Illuſtriſs. Decani Sacræ Rom. Rotæ.

Ode XLIV.

DIc Muſa Pean obuia Præſuli
Solemne, noſtris qui laribus ſubit;
Qui ceù nouus Phæbus benigno
Nazareis micat ore tectis.
Hic ille ſacræ grande decus Rotæ,
Legum bonarum, ſplendor & artium,
Ingens Auitæ lux, honoſque
Proſapiæ, Patriæque Sydus.
O quanta lucet fronte ſerenitas;
Mentiſq; quantum conſilium, & fides!
Huic multa virtutum ſupellex
Pectore magnanimo renidet.
Hoc læta gaudet Præſide Nazaret
Pubes Piorum, cui ſimilem dabit
Ventura vix ætas, Alumnos
Qui iuuet auſpicio ſalubri.
Hunc Muſa tantum Carminibus tuis
Extolle dignis pro meritis Virum,
Perenne fama laude clarus
Per memores eat ille faſtos.

Idem

Idem Argumentum.

Ode XLV.

QVæ lux lætitiæ noua?
  Quæ noſtris laribus clara dies micat?
Quod latè reſonat melos?
  Flaua qua reboat Tybris arundine?
O noſtras ſubijt domos
  Præſul, cui ſimiles Romula Curia
Vix paucos recolit Viros,
  Vrbi qui referant tempora Neſtoris!
Præſul Iuſtitiæ ſacram
  Certa lege Rotam vertit, & omnibus
Dat leges populis, pari
  Ex lance examinat Iura Quiritium.
Hoc præſente, nouis Pia
  Pubes exiliat concita gaudijs.
Huic proni, atque hilares Togæ
  Omnes obſequij figimus oſcula;
Nomenque egregium ſuis
  Ad Cœli meritis Sydera tollimus.

FINIS.

	Errata	*Corrige*
Pag. 16	proferet	profer &
20	. . . .	Roſeo
29	meritam	meritum
27	commendare	Emendare
45	Vetuſtas	Venuſtas
46	fama	facta
59	terees	teretes
127	noſtis	noctis
276	, . . .	Tibi.
278	cingite	præcingite
278	ſpectas	ſpecta
304	Audio	Audin?

ille [illegible] plenius

(obscuro)